

Michael Lorenz

**Spicilegium Haeresium : h. e. Tractatus Brevis Haeresiologicus, Inquo praecipui Haeretici, eorumq[ue] de doctrina contentionum s. haeresium septem prioribus a nato Christo seculis exortarum capita, breviter recensentur. Ex antiquitate Ecclesiastica ... & Consensu ... Collegii Theologici in Illustri Academia patria**

Rostochii: Kiliana, 1658


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730111679>

Druck Freier  Zugang





Ff-5952





2 D. B. V.

# SPICILEGIUM HÆRESIUM.

h. e.

TRACTATUS BREVIS  
HÆRESIOLOGICUS,

In quo præcipui Hæretici,  
eorumq; de doctrinâ contentio-  
num s. hæresium septem prioribus à  
nâro Christo seculis exortarum  
capita, breviter recensentur.

Ex antiquitate Eccle-  
siasticâ erutus.

&

*Consensu Pl. Rev. & Ampl. Collegii  
Theologici in Illustri Academiâ patriâ,  
editus*

MICHAELE LAURENTII, Rostoch,

in ROSTOGHII,  
ex Officinâ Academicâ KULIANA, A. ð. 1658.

NON ungula, craticuleque, non flamma,  
Acir acesque, non flagella, non pugna  
Cum bestiarum seculis, numelleque,  
Crudelitatis illa machinamenta,  
Tantam usque cladem Ecclesiis creavere,  
Quantam illa Ditis HÆRESIS dedit proles,  
Quam multiformis, & quid, illa sit pestis,  
Quam pejus Orbis tetriusque nil vidit:  
Qui sint & illi dogmatum novatores  
Adulterini, filiique Centaurum,  
Quos caeca Erinny's mente devios jactat,  
Ut tot, salutis cum periculo, cudant  
Præstigiatarum monstra, totque portenta  
Opinionum, tuperite LAURENTI  
Isthoc libello collocas sub aspectum.

Procul hinc abeste semivultures, fama  
Hirudinesque, Cerberique vivorum!  
Non sum SOPHISTES, HÆRESINQUE  
detestor

Abominorque pejus anguium tabo:  
At quod Libellus iste commodi multum  
Multumque laudis sit tibi paraturus  
In hac (fatebor) unica HÆRESI versor.

And. Tscherningius.



1933. XII. 29.

Candido Lectori Salutem in  
CHRISTO JESU.

**N**on dubito quin varii  
variè de hisce laborib9  
nostris divinent, quod in tam  
clara Evangelii luce, postq;  
aliorum de Hæresibus variis  
nominibus insignita Autorū  
volumina, per breves hæ de  
iisdem sententiæ prædeant,  
cum inscriptione **SPICILE-  
GIUM HÆRESIUM.** At  
ne mireris, causas enim huj9  
rei, si scire vis paucis referā.  
Scis jucundam esse præteri-  
torum temporum recorda-  
tionem. Ego v. qui aliquot  
annos Athenis patriis ad mer-  
caturam bonarū artium (quæ  
magna copia hic veneunt,)   
substici, cum plus temporis,  
quam

m 9120

quam



AD LECTOREM.

quam artibus illis impēdere  
( nisi me omninò macerare,  
aut valetudinem lædere vo-  
luissem, ) nec de ambulandi  
copiam semper daret cœ-  
lum, paucosq; in patria, imo  
( quod magis mirandum, )  
ferè nullos, studiosos famili-  
ares, quos inviserem, habe-  
rem, quod superfuit tempus  
unicæ Historiæ Ecclesiasticæ,  
ut quæ ad eruditionē Theo-  
logicam maximè necessaria,  
dandum putavi, ex ea  
autem coepi me, quantum  
potui, Hæresium meditatio-  
ne oblectare. Cum vero in-  
ter meditandum & legendū,  
qui ingenio aliàs tardo præ-  
ditus, memoriam etiam vi-  
derem

*AD LECTOREM.*

derem labilem, ne olim cum  
aliquid earum excidisset, do-  
lerem, per breves hasce de  
hæresibus sententias, sche-  
dulis exarare coepi, Spicile-  
giumq; inscripsi; Multi n. uq;  
magis in Ecclesiâ Dei viri,  
eandem præ me in colligend-  
is hæresib; viam triverunt,  
& messem quasi ante me in-  
stituerunt, ego vero mello-  
rum terga insequens spicas ab  
illis quandoq; præteritas col-  
legi easq; divulgò, nō arrogã-  
tiæ cujusdam studio, quasi a-  
liquam meæ eruditionis (cu-  
jus curtam agnosco suppelle-  
tilem) speciem edere cupe-  
rem, aut vanâ ostentatione

dele-

AD LECTOREM.

delectarer ; sed ut erga Pa-  
rentes atq; Meccœnates me-  
os, partim gratam mentem  
pro erogatis ad studia sum-  
ptibus, probarem, partim ma-  
jori benevolentia alios ad i-  
dem studii genus haberem  
excitados. Hæ sunt causæ, aut  
si non causæ certè occasio-  
nes hujus spicilegii colligen-  
di. Colligendo autem brevis  
fui & nuda tantum errorum  
capita contraxi, ut Synopfin  
qs. rerum inconspetu habe-  
res, neq; enim decrevi sanare  
ac curare ea quæ in pluribus  
autoribus circa hanc materi-  
am scapello, vel limâ indige-  
re videbantur, non etiam

mei

AD LECTOREM.

mei instituti fuit autores corrigere, formare, neq; Hæreticos (quod tamen bono cum Deo si favor aut liberalitas alicujus Meccœnatis accesserit, aliquando mox præstabo) refutare, sed ipsos exhibere quales voluerunt esse, videri aut haberi, non illis tribuere, quod illi meo aut aliorum judicio debebant scribere aut dicere, sed quod eos dixisse, aut scripisse testatur cohors librorum. Ne offendare vero, si stylus quandoq; rudior si phrasis occurreret incomptior, rem ipsam appende non verba, fructum lege non folia, florem carpe, nec volaticos desidera pappos.

AD LECTOREM.

pos. Hæc erant Lector B.  
quæ scire te volebam prius,  
quam in rem præsentem ab-  
ducereris.

Vale & fruere B. L. nec  
studiis nostris, nî indigna  
videbuntur, faver:  
desiste.



IN  
 SPICILEGIUM  
 HÆRESEON,  
 PROLEGOMENA.

**N**on minus rectè quam  
 verè, Theodoreto serpen-  
 tem antiquum, irrecón-  
 ciliabilem illum Dei & hominum  
 hostem, τὴν παμπόνηρον καὶ βάσκα-  
 ρον δαίμονα καὶ τὸν τῶν αἰθρώπων  
 ἐλάσμεν appellat. Hanc n. suam  
 malitiam adversus Christum, e-  
 jusq; ad oppugnandum gratia in  
 Ecclesiâ regnum, ab antiquis tē-  
 poribus, non solum manifestâ de-  
 dit eò, quod persecutus fuerit JE-  
 SUM CHRISTUM, tum in ipso, tum  
 in membris ipso, dum turbâ ma-  
 lignantium eò impelleret, consi-  
 lia ut iniret de Christo è medio  
 A                    tollen-

2  
 tollendo, & cultoribus ejus sinceris interficiendis; sed & eò, quod cū vi nihil effici posse videret, rem calliditate aggresso, fascinaverit alios, turbas in Ecclesia excitarēt, nec veritati. (Luci scilicet cœlestis doctrina à Christo patefacta & accensa, perq; fidos Christi doctores propagata,) obsequerētur. Et hinc inde factum quod nullū unquam artium & doctrinae genus reperiat, in quo hereses tandē aliqua non extiterint, sive Philosophiam sive Christianā religionem spectes. Quot enim inter Philosophos sectae fuerunt, & in eadem secta quot divortia & familiae exorta, tot procul dubio hereses, diversaq; sententiae, aliae ab aliis etiam de eadem re dissentientes, sunt dicendae. Quod Cle-  
 mens

mens Alexandrinus lib. 1. Stomat. *his verbis docet: Cum una sit veritas, falsum innumera- bilia habet diverticula, quæ admodum Bacchæ, quæ Pen- thei membra divellebant, sic Philosophiæ, tam Barbaræ, quam Græcæ hæreses. Una- queq; enim id quod sortita est, tanquam totam jactat veritatē. Et certè nulla tam absurda un- quam fuit sententia, quæ non, ut ait Quintilianus, suum Autho- rem, defensoremq; habuerit. Ac de Philosophiâ quidem fidem no- bis faciunt & Epiphanius, & Cel- sus, cujus Augustinus in Proœmio libri de Hæresibus ad amicum Quodvultdeum meminit. Dioge- nes item Laërtius, & Plutarchus in quinq; libris de placitis Philo-  
A 2                      sopho-*



sophorum, qui omnes diversas  
 sectas & sententias nobis descri-  
 pserunt. In doctrinâ vero fidei  
 idem evenisse, non modo testatur  
 ipsum verbum Dei undiquâq; sed  
 & tota Ecclesiæ Orthodoxæ anti-  
 quitas; ut Irenæus, Clemens Ale-  
 xandrinus, Origenes, Tertullia-  
 nus, Eusebius, Hieronymus, Pro-  
 sper, Edagrius, Nicephorus Calli-  
 stus, Zonaras, Nicetas &c. Prae-  
 primis verò Epiphanius gravis  
 scriptor, qui hereseon tum earû,  
 quæ ab initio mûdi, & ante Chri-  
 stum natum extiterunt, tum ea-  
 rum quæ postea nata sunt, lucu-  
 lenter meminit. Honorius item  
 Augustodunensis Ecclesiæ Presby-  
 ter cognomento Scholasticus di-  
 ctus; & Philastrius Episcopus  
 Brixienfis, coævus duorum lumi-  
 num

PROLEGOMENA

num in Ecclesiâ Latinâ Ambrosii  
 Mediolanensis Episcopi, & Augu-  
 stini Hipponensis, catalogos here-  
 tiorum post se reliquerunt. Insi-  
 gnem item librum de Haresibus  
 ad amicum Quodvultdeum (que  
 in initio Tom. 6. operis inseruntur  
 reperies) D. Aurelius Augustinus  
 Episcopus Hipponensis conscripsit.  
 Cujus, ut & aliorum ex antiqui-  
 tate supra memoratorum vestigiis  
 insistens, brevissimas hasce de ha-  
 resibus, scilicet falsis hereticorum dogma-  
 tibus, & suis opinionibus cõges-  
 si, earumque duas partes constitui  
 Generalem & Specialem. In  
 Generali de herese in genere, ut  
 de Etymologia vocis, definitione, cau-  
 sis & c. eâ quâ brevissimâ fieri po-  
 tuit perspicuitate, egi. In Specia-  
 li parte, memorie juvanda cau-  
 43                      sâ per

6 DE HÆRESIBUS  
sã per secula iui, & singula cen-  
turia præcipuos suos hereticos  
adscripsi, commemorans simul Sy-  
nodos Oecumenicas, quæ illorum  
gratiã instituta. Esto itaq; Bono  
cum DEO

PARTIS GENERALIS  
CAPUT I.  
DE  
ETYMO VOCIS  
HÆRESEOS.

**S**I originem vocis Hæreseos spe-  
ctamus, videmus quod sit Græ-  
ca, voluntatem, delectum, factionem,  
institutum, studium, conatum, &c.  
designans, & descendat à primitivo  
ἐρεσμαι, ἔρειναι; quod eligo, volo,  
postulo, consector, opto, probō, se-  
quor, capesso, irẽ creo pro eligo &c.  
ut & aliis modis pro locorum ratio-  
ne In-

ne Interpp. exponunt. Quum autem  
 vox hæc apud veteres inter vocabula  
 μέσα, bonum & malum quid pro-  
 miscuè significantia, sit relata, in initio  
 non adeo fuit odiosa. Ut videre est  
 in Epigramm. Posidippi: ἦν ἄρα εἶν  
 οὐκ εἰς ἐνὸς αἵρεσις, ἢ τὸ γενέσθαι μη-  
 δέπτ', ἢ τὸ θανεῖν αὐτὴν αὐτομάτην.  
 Et αἵρεσιν ποιέσθαι apud Platonem de  
 Legibus accipitur, & designat comitia  
 habere. Quandoq; & optionem signi-  
 ficat. Ut Sophoc. αἵρεσιν δίδουαι,  
 dare optionem. Sic & in bonam par-  
 tem Isocrates eadem voce utitur  
 in Orat. ad Philippum: Ἄλλ' εἴ τις θεῶν  
 αἵρεσιν σοὶ δοῖη μὲν ποῖας ἀν' Ἰππιμε-  
 λείας, καὶ Διότριβῆς εὐξάμο τὸν βίον  
 Διόγειν, ἔδεμίαν ἔλθοι ἀν', εἰπερ ἰμοὶ  
 συμβέλω χροῶν μάλλον ἢ ταύτης.  
 Idē de Pace. Εὐρήσεται γὰρ οὐκ ἀπεί-  
 στος τῶν ἀνθρώπων, πῶς τις αἵρεσις  
 τῶν πραγμάτων ἀμαρτάνοντα, καὶ

πλείους ἰδὺ ἐπιθυμίας ἔχοντας τῶν  
 κακῶν, ἢ τῶν ἀγαθῶν, ἀμεινον ἢ Βε-  
 λουοιδρίας ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν, ἢ σφῶν  
 αὐτῶν γίνεταί μοι αἵρεσις. Eodem  
 modo quo vox αἵρεσις etiam πρῶται-  
 ρσις ab illà composita, initio in bo-  
 nam partem accepta apud profanos  
 autores legitur: Erat enim πρῶταιρσις  
 apud Philosophos electio animi de re  
 aliquâ persequendâ vel fugiendâ,  
 quam prægressa erat deliberatio. Ut  
 Isocrat. in Orat. ad Demon. πρὸς τὸν  
 πατρός πρῶταιρσεις ἀναμνησθεῖς,  
 i. e. Patris instituta & rationes animo  
 revolvens. ὅτι τῆς ἐκείνου πρῶταιρσεως,  
 qui sunt illius affecta. Demosth. ἐν πρῶ-  
 ταιρσεως, consultò, voluntariè, Liv. ex  
 voluntate, de industriâ, judicio &  
 consilio adhibito. Postmodum vero  
 αἵρεσις vocabulum, divisionem sonâs,  
 invisum esse cœpit. Nam Hæresis  
 Philosophorum est opinio de do-  
 gmate

gmate aliquo, eo que falso, firmata. Quarum hæreseon quatuor imprimis Athenis celebres erant: Academica, Periparetica, Epicurea, & Stoica. Cui ultimæ Cicero in Procem. Paradox. Catonem addictum fuisse testatur, sic inquires: Cato autem perfectus (meâ sententiâ) Stoicus, & ea sentit quæ non sanè probantur in vulgus, & in eâ est hæresi, quæ nullum sequitur florem orationis, neq; dilatatur argumentum, sed minutis interrogatiunculis, & quasi punctis quod proposuit, efficit. Unde Diogeni Laert. *αἰγελῖσαι* dicuntur, qui hujus aut illius Philosophi partes sequebantur. Et Aristoteli ut & aliis *αἰγελῖνός* est homo factiosus, sectæ alicujus autor, qui malè utitur facultate eligendi. Apud Christianos item vox *Hæresis* pro rixâ, contentione, & dissidio accepta est, ut patet ex Galat. V, 20. 1. Cor. XI, 19. Tit. III, 10. In doctrinâ autem Ec-

10 DE HÆRESIBUS  
clesiæ *Hæresis* nihil aliud significare  
videtur, quam quod alio nomine à  
Paulo ἐτεροθρησκεία vocatur. i. e. re-  
ligio & cultus divinus in humano ce-  
rebro natus, sive à nobis ipsis inven-  
tus ille sit, sive ~~jam~~ olim ab alio, quem  
sequi placeat, repertus, quo Deus fru-  
stra colitur, quiq; graviter à Deo da-  
mnatur, cum in verbo ipsius non sit  
præscriptus.

CAP. II.  
DE  
DEFINITIONE.

Est autem *Hæresis* nihil aliud, quam  
electio & defensio pertinax, perversæ,  
falsæque, & cum consensu perpetuo  
Prophetarum & Apostolorum pu-  
gnantis de Deo rebusq; divinis do-  
ctrinæ, quâ Deus contumeliâ affici-  
tur, & fundamentum fidei evertitur,  
& multi errore implicati, in æternum  
ruunt exitium. *Hæreticus* vero est,

qui hæresin, hoc est, falsam & cum fidei fundamento pugnantem doctrinam, non modo sequitur, sed obstinate & pertinaciter etiam defendit.

VEL: ut ab *Augustino lib. de Util. credendi* definitur: *Qui temporalis commodi & maxime gloriæ, principatusq; sui gratiâ, novas ac falsas opiniones circa doctrinam fidei vel gignit, vel sequitur.*

Duo igitur hæc in hæretico concurrunt 1. *Opinio falsa cum fidei fundamento pugnans.* Non enim quævis opinio hæreticum facit, veluti, qui attingit dogma aliquod inferius, non proprie, simpliciterq; ad fidem necessarium; talis error est hominis à viâ in viâ aberrantis, sed retinentis caput, ac proinde cadentis suo Domino, & suo Domino surrecturi, potest enim Deus eum stabilire, ut Paulus loquitur *Rom. XIV, 4* Quapropter etiam hominem tali errore præoccupatum, nec veritas hæreticum vocat; sed



sed ille error, & opinio falsa hæreticum facit, quæ dogmati fidei Christianæ, seu articulo alicui, aut pluribus etiam contrarius est, & sic in doctrinæ Christianæ fundamentum impingit. II. In opinione falsâ afferendâ pertinacia. Neque enim hæreticus est dicendus qui sic errat, ut tamen veriora & meliora docentem paratus sit audire, & veritati locum dare, nec omnis qui semel aut bis erroris evictus est, potest enim quis ex simplicitate & ignorantia errare in fide, sed quisquis in errore demonstrato & auctoritate verbi Dei evicto contumax est, & in eo persistit. Quod ipsum D. Apostolus quoque docet, cum jubet: Hæreticum hominem post unam aut alteram admonitionem vitari, quia eversus sit qui hujusmodi est, & peccet per se damnatus. Tit. III, 10. 11. Insignis est locus *Augustini* qui existat: Tom. 2. Epist. 262. sic habens: Dixit quidem

dem

dein apostolus: Hæreticum hominem post  
 unam correptionem devota, sciens quia  
 subversus est ejusmodi, & peccat & est  
 à semetipso damnatus, sed qui semen-  
 tiam suam, quamvis falsam atq; perversam  
 nullâ pertinaci animositate defen-  
 dunt, præsertim quam non audaciâ præ-  
 sumptionis suæ pepererunt, sed à seductis  
 atq; in errorem lapsis parentibus accepe-  
 runt, querunt autem cautâ sollicitudine  
 veritatem, corrigi parati cū invenerint,  
 nequaquam sunt inter hæreticos depu-  
 tandi. Tales ergo vos nisi esse crederem,  
 nullas fortasse vobis literas mitterem.  
 Quamquam & ipsum hæreticum quem-  
 libet odiosâ superbiâ tumidum, & per-  
 vicaciâ male contentionis insanum sicut  
 vitandum monemus, ne infirmos & par-  
 vulos fallat, ita non abnuimus, quibus-  
 cunq; modis possimus corrigendum. Unde  
 factum est, ut etiam ad nonnullos Dona-  
 tistarum primarios scriberemus, non  
 communicatorias literas, quas jam olim  
 propter

propter suam perversitatem ab unitate  
Catholicâ, quæ toto orbe diffusa est, non  
accipiunt, sed tales privatas, qualibus no-  
bis uti etiam ad paganos licet, quas illi  
etsi aliquando legerunt, respondere ta-  
men eis sive noluerunt, sive ut magis cre-  
ditur, nequiverunt. Ubi nobis satis vi-  
sum est implevisse nos officium charita-  
tis, quam non solum nostris, sed & omni-  
bus nos debere Spiritus Sanctus docet, qui  
nobis ait per Apostolum: Vos autem Do-  
minus multiplicet, & abundare faciat  
in charitate int̄ invicem, & in omnes.  
Monet etiam alio loco in modestiâ cor-  
rumpendos esse diversa sentientes, si forte,  
inquit, det Deus illis pœnitentiâ ad agno-  
scendam veritatem, & resipiscant de  
Diaboli laqueis, captivati ab ipso in ipsi-  
voluntatem. Hæc prolocutus sum, ne quis  
me existimet impudentius vobis quam  
prudentius scripta misisse, & hoc modo  
vobiscum de negotio animæ vestræ ali-  
quid agere voluisse, quia nostræ commu-  
nionis

nionis non estis, cum tamen si de negotio  
 fundi, aut alicujus pecuniariae litis diri-  
 mende vobis aliquid scriberem, nemo  
 fortasse reprehenderet. Usq; aded harus  
 est hic mundus hominibus, ut sibimetipsis  
 viluerint. Erit ergo mihi ad defensionem  
 testis hæc epistola in iudicio Dei, qui no-  
 vit quo animo fecerim, & qui dixit: Beati  
 paci fici, quia ipsi filii Dei vocabuntur.  
 Hæc ille. Quapropter etiam non om-  
 nnis opinio mentis in fide est hære-  
 sis, sed quæ contra demonstratam &  
 evictam verbi Dei auctoritatem, perti-  
 naciter defenditur. Est enim propria  
 forma hæreseos, opinio mentis vo-  
 luntate pertinaci confirmata. Ex his  
 autem liquido apparet, quid de illis  
 credentibus sentiendum sit, qui hære-  
 tici credunt an etiam illi pro hæreti-  
 cis habendi: id quod negamus. Siqui-  
 dem ut August. lib. de Util. credendi,  
 docet: ab hæreticis sunt distinguendi.  
 Quippe qui imaginatione quâdam veri-  
 tatis.

tatis & pietatis ab hæreticis illi assentiuntur eorum errori, non animi quidem obstinatione, sed quâdam cordis simplicitate, & facilitate, sine levitate, temeritateq; credendi. Itaq; de suo errore admoniti, neq; contendunt, neq; pugnant, sed vel respiscunt, vel credere sunt parati. Unde non statim sequitur, si Doctores sunt Hæretici, ipsas quoq; Ecclesias esse hæreticas. Nam credentes hæreticis castiores (ut veteres loquebantur) aures habent, quam sacerdotes ipsorum habent ora.

NOTA: Perversa doctrina non quemvis hominem, sed eum duntaxat, qui Christi fidem professus est, hæreticum facit. Ut Turca non potest dici hæreticus, sed infidelis)

CAP.

## CAP. III.

DE

## CAUSIS HÆRESEON.

Diabolus ut omnium hæresium author, sic & hæreticorum antesignanus est, & causa principalis; minus vero principales dari possunt plures, utpote. 1. *Insanum rationis corruptæ iudicium*, quâ ex superbiâ ea curiose indagare studemus, quæ fides non discutienda sed credenda proponit. Est enim *superbia mater hæresium*. August. *contra Epistolam Manicheorum fundam. cap. 6.* Bernhard: *Serm. 65. in Cantic.* Omnibus una intentio hæreticis semper fuit, *captare gloriam de singularitate scientiæ*. Hinc Calviniani in variis articulis de Orthodoxyâ recedunt. Scholastici etiam inde admodum Theologiam obscurarunt, dum meris subtilitatibus articulos fidei vel approbare vel improbare ausi fuerunt; Hinc & Tertul-

*Tertullianus* Philotophos appellat *Patriarchas hæreticorum*. 2. *Voluptas* cujus illecebris capti multi, à veritate recesserunt. Sic quando Israelitis omnia ex voto succedebant, multum cōmercii habebant cum Idololatriâ, & hinc plures semper Epicuræi reperuntur, quam Peripatetici. Hæc causa tantoperè protulit Mahometismū, in quâ sectâ plures uxores conceduntur hominibus, in alterâ vitâ promittuntur concubitus. *Vide Hieronym.* Tom. 2. *Epist. ad Thesepentem* ubi plures hæreticos numerat ex libertate carnis. Sic *Simon Magg* hæresin condidit *Helenaë* meretricis adjunctus auxilio. *Nicolaus Antiochenus*, omnium immundiciarum repertor, choros duxit fœmineos. *Marcion* Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos *Abianimos* præpararet. *Apelles Philomenem* suarum comitem habuit doctrinarum. *Montanus* immundi  
 spiri.

spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscam & Maxillam, nobiles & opulentas fœminas, primum auro corrupit, deinde hæresi polluit. Arius, ut orbem deciperet, sororem Principis ante decepit. Donatus per Africam, ut infelices quosq; fœtentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adjunctus est. In Hispaniâ Agape Elpidium, mulier virum, cœcum cœca duxit in foveam, successoremq; sui Priscillianum habuit, Zoroastris magi studiosissimum & ex mago Episcopum, cui juncta Galla, non gente, sed nomine, germanam huc illucq; currentem alterius & vicinæ hæreseos reliquit hæredem.

3. *Avaritia*. Qua quis auro corruptus in hæresin prolabitur; sic avaritia Simonem Magum præcipientem dedit Act. IX, Et hodiè quor Principes, ob avaritiam, sacram doctrinam mutant.

4. *Ambitio*, quâ quis tales, qui ei minimè competunt, honores



nores ambit. Hæc primos parentes  
 fecellit, & Satanã in Gehennã præcipi-  
 tem dedit. Quod Latina & Græca Ec-  
 clesia huc usq; separatae sint inde fa-  
 ctum, quod Episcopus Romanus nul-  
 lum parem agnoscere vellet. 5. *Falsa*  
*suspicio*, conjuncta cum contemptu  
 & odio alterius. 6. *Studium conten-*  
*tionis*. Posteriorum trium causarum  
 vivum exemplum nobis ob oculos  
 ponit Socrates *Histor. Ecclesiast. lib. 1.*  
 Arium illum Alexandrinæ Ecclesiæ  
 Presbyterum, qui levi & perexiguâ  
 excitatâ scintillâ, tâtam dissidiorum  
 & cõtentionum accendit flammam,  
 quæ ab Ecclesiâ Alexandrinâ exorta,  
 universam Ægyptum, Libyam, & su-  
 periorem Thebaidem pervasit: quin  
 etiam reliquas provincias & civita-  
 tes, passim est pervagata, pestiferæq;  
 labis suæ semina longè lateq; sparsit,  
 & propagavit. Hunc autem quatuor  
 potissimum causis, ad tristissimam  
 hanc

hanc tragediam excitandam impulsu fuisse scribit. Initio persuasione eruditionis; quod vir esset non ignarus Sophisticarum argutiarum; quam ob causam, cum videret gubernationis & inspectionis Ecclesiæ Alexandrinæ honorem & onus demandatum Alexandro, quem sese eruditione, eloquentiâ, disceptandiq; arte longè inferiorem judicabat, invidiæ impatiens, sibi & affectibus imperare, animi morbum atq; dolorem reprimere non potuit. Ad hanc accessit falsa suspicio; conjuncta cum contemptu & odio ejus, quo se munere Episcopali digniorem arbitrabatur. Quia enim moleste tulit, sibi iudicio Ecclesiæ prælatum Alexandrum, omnia illius dicta & facta, huic suspecta fuerunt, diligenterq; illius sermonibus & disputationibus attendit, non quibus erudiretur; sed ex quibus occasionem & materiam captaret, litem inten-

intendendi superiori, quam etiam, differente Alexandro de Sacro Sanctâ Trinitate, & in Trinitate Unitate, nactum se opinabatur, in suspicionem Episcopum vocans, quod Sabellii errorem revocaturus & in Ecclesiam esset introducturus. Hanc vero confirmavit studium contentionis: quâ se ita præcipitem ferri & abripi est passus; ut dum extremorum alteri contradiceret, in extremum ipse alterum impingeret; quibus conjungatur, quod vinculum pacis & tranquillitatis omne abruperit, vehementiâ item, & acerbitate in contradicendo usus fuerit, nam acerbè, alpeque se opposuit iis, quæ ab Episcopo fuere dicta. 7. *Miracula*, vel potius *Præstigia*, quæ in plerorumque errorum commendationem, jactitare solent organa Satanae, cum tamen sat multis miraculis tempore Prophetarum & Apostolorum doctrinâ salifica

fica

fica fuerit confirmata. Hoc stratagemate seculo VI. Mahumet usus est, qui Angelum quendam cœlitus Alcoranum sibi obtulisse fingebat. Ut habet *Damasus de hæresibus*. Donatistæ inde etiam *Mirabiliarii* ab Augustino vocantur, et hodie & Pontificii. Hisce & aliis rebus (quas apud alios vide,) seducti homines, in hæresin sunt prolapsi, Ecclesiamque Dei illâ turbarunt. &c. &c.

CAP. IV.

DE

UTILITATE HÆRESIUM.

Permisi autem Deus hæreses in Ecclesiâ oriri, non quasi ex hæresibus ad Ecclesiam per se utilitas demaneret, siquidem hæresis suâ naturâ res est pestilentissima, sed saltem per accidens; Quod Apostolus docet I. Cor. XI, 19. inquit: *Oportet hæreses esse*

ses esse in vobis, quo qui probati sunt, manifesti fiant inter vos. Super quæ verba Vincentius natione Gallus, apud Monasterium in Lyrinensi insulâ presbyter, in tractatu suo pro Catholice fidei antiquitate, & veritate, adversus profanas omnium hereseon novationes, sic ait: Oportet hæreses esse: Ac si diceret, ob hoc hereseon non statim eradicantur authores, ut probati manifesti fiant, id est, unusquisq; quam tenax & fidelis & fixus Catholice fidei sit amator, appareat. &c. Idem Tertullianus libro de Præscriptionibus adversus hæreticum affirmat, cum ait: Ad hoc igitur hereses sunt, ut fides habendo tentationem, haberet etiam probationem. Vnde etiam communiter, tres hæresium utilitates recitantur. (1) Ut ex collatione hæresium sacra doctrina rectius, meliusq; & magis pensilante examinetur, adeo, ut quæ festinanter antea percurrebamus, jam atten-

te in

tè incipiamus legere, & singula ponderare. Nam ut rectè *Augustin. lib. 7. confessionum. cap. 19.* ait: *Improbatio hereticorum fecit eminere, quid Ecclesia sentiat, & quid habeat sana doctrina.*

(2) Ut de reëctis falsorum dogmatum abominatõibus, & perfectà veritatis luce, odium hæreseon, & veritatis amor in nobis accendatur & crescat, ipsique errores tanquam periculosi quidam scopuli, eo melius virentur, ut ad quos alii naufragium fecerint.

(3) Ut ex abominandâ detectione sceleratissimorum istorum dogmatum nobis tanto magis invisi reddantur, tum ii, qui genuerunt, tum etiam ii, qui stolidè illis crediderunt. Sic enim tractatio hæc legenda est, ut vera doctrina errorib<sup>9</sup> istis ineptissimis semper opponatur. Unde Concilio Carthagin. IV, cap. 16. decretum est: *Ut Episcopi hereticorum libros legerent.*

Vera est enim illa Plutarchi, quam

B

quam

quam scriptoris profani sententia: Nos ex ipsiſ inimicis noſtris, etiam maximam utilitatem capere poſſe.

## CAP. V.

DE

## MADIO QVO HÆRESSES ET HÆRETICI CONVINCI POSSUNT.

Unicum ſcutum, quo hæreticorum inſultus omnes excipere, unicus que gladius, quo ingredientes ſeſe in Eccleſiam Hæreticos convincere poſſunt, eſt ſacra ſcriptura, quippe non modo ad διδαχαιαν, ſed ad ἐλεγκον etiam utilis. 2. Tim. III, 16. Et pulchre Chryſoſtomus in opere Imperfecto, (cuius Petrus Waſtelius Carmelita in vindictiſ ſuis Johannem Hieroſolymitanum autorem eſſe contendit.) Tom. 2. homil. 49. ſuper verba Matthæi. 24. cap. Cum videritis abominationem &c. ſic diſſerit: *Cum videritis*

*hære-*

hæresin impiam quæ est exercitus Anti-  
christi, stantem in locis Ecclesiæ sanctis,  
tunc qui in Judæâ sunt conferant se ad  
montes, hoc est, qui sunt in Christianita-  
te conferant se ad scripturas. Vera enim  
Judæa Christianitas est, montes autem  
sunt scripturæ Prophetarum & Aposto-  
lorum, sicut scriptum est: Fundamenta  
ejus in montibus sanctis. &c. &c. Sed  
foran objicies: Quis de judicio  
scripturæ circa hæreses certus esse po-  
test, nam quemadmodum leges civili-  
les non ipsæ per se loquuntur, sed le-  
gem animatam, judicem videlicet  
requirunt, ita etiam in Ecclesiâ debe-  
bit esse judex, qui quid scriptura de  
singulis controversis judicet, ipse ex-  
ponat? Neg. Ingens enim divinæ &  
humanæ sapientiæ differētia est, sunt  
quidem ut in reb9 humanis innume-  
rabiles casuum, sive specierum facti  
differentiæ, ita in doctrina etiam de  
religione & cultu divino infinitæ



quædam quæstiones, quas qui sectantur, semper discunt, nec inveniunt, ubi quiescant; Verum divina isthæc sapientia, humanæ longissime præstat, ideoque nemini tanta autoritas concedenda est, ut suo arbitratu dogmata religionis definiat, quemadmodum in humanis dubiis casibus, cum lex aperte nihil statuit, ponderatis circumstantiis, æquitas, quam vocant, sequenda est; divina enim lex, h. e. scriptura sacra, nullo in casu, nullâ in controversiâ tacet, semper loquitur, neque judicem aut præterem, sed præconem potius desiderat, qui non quid sibi videatur, sed quid præscriptum habeat, pronunciet. Vivum est enim verbum Dei & efficax, & penetrantius quovis gladio ancipiti ac perstringit usq; ad divisionem animæ simul ac spiritus, compagumq; & medullarum, & *dijudicat* cogitationes & conceptiones cordis,

dis,

dis, Ebr. IV, 12. *Objicere nobis soletis Cypriani literas, Cypriani consilium* inquit Augustin. de baptis. contra Donatist. lib. 2. cap. 3. *Quis autem nesciat, sanctam Scripturam Canonicam tam Veteris, quam Novi Testamenti certis suis terminis contineri, eamq, omnibq posterioribq Episcoporum literis ita præponi, ut de illâ omninò dubitari & discipari non possit, utrum verum, vel utrum rectum sit, quicquid in eâ scriptum esse constiterit? Episcoporum autem literarum quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiores cujuslibet in eâ re peritiore, & per aliorum Episcoporum graviorum auctoritatem, Doctorumque prudentiam, & per concilia licere reprehendi, si quid in eis forte à veritate deviatum est*

## CONCILIIS.

Cum Hæretici expressis scripturæ testimoniis, quibus dogmata sua tueantur, destituantur, seq; illa silentio præterire ut plurimum gloriantur, ne vero quando ipsis luce meridiana clariora scripturæ testimonia objiciuntur, ab orthodoxis convicti videantur, ea eludunt, & nominum significata præter communem & usitatam loquendi consuetudinem, & præter sententiam ac interpretationem in Ecclesiâ Dei receptam, in sensum detorquent peregrinum, alienum, ac prorsus contrarium. Cumq; hic mos facile proserpat, sic ut nihil posthac apud Ecclesiam (ut Vincent. advers. hæres. verbis utar) relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum; sed sit ibidem deinceps impiorum ac turpium errorum

rorum lupanar, ubi erat antè castæ & incorruptæ sacrarium veritatis. Imperatores tranquillitatem Ecclesiæ & unitatem in fide amantes ea propter moti, concilia coëgerunt, non ut illa infallibiles iudices controversiarum, quippe quâ autoritate solum Scriptura Si pollet, constituerentur: nam & hæc errare posse, & errasse sapissimè notius est, quam ut operosâ probatione indigeat. Cujus rei exemplo esse potest vel sanctissimum illud Concilium Nicenum, ubi unius Paphnutii provocationi, 318. Episcopi cedere non dubitarunt. Unde ipse quoq; Augustinus Maximino Arianorum Episcopo ad Concilium provocanti respondit: *Neq; ego Nicenum, neq; tu Ariminense Concilium, tanquam præjudicaturus proferre debes.* vid. histor. Tripart. lib. 2. cap. 3. Neq; eo potissimum sine concilia sunt coacta & celebrata, ut hæreticorum opiniones

audirentur, & damnarentur, non n-  
idem semper Conciliorum eventus  
fuit, qui sperabatur: quod August.  
Tom. 7. sub fin. lib. 4. contra duas  
Epist. Pelagianorum testatur. Sed eo  
potissimum sine Concilia celebrata  
leguntur: Ut (verba sunt D. Hütt. in  
Irenico verè Christiano cap. 1.) partim  
purior doctrina publicè à totà Eccle-  
siâ confirmaretur; partim hæretico-  
rum dogmata ibidem publicè con-  
sentiente totà Ecclesiâ rejicerentur,  
& sententiæ damnatoriæ, jam ante  
per Orthodoxos latæ, solenniter ap-  
probarentur. Nam quia Prophetarum  
Spiritus, monente Apostolo, Pro-  
phetis subjecti sunt; ideo *συμβί-  
βαται* quâdam, & collatione senten-  
tiarum pii delectantur; Et hæc de  
causâ exortis hinc inde his vel illis  
controversiis, quidam piorum do-  
ctorum conventus instituti sunt, qui  
de motis quæstionibus sententias cõ-  
ferrent,

ferrēt, & juxta normā Scripturę S. pronun-  
 ciant: neq; tñ. hi autoritatem  
 sibi sumserunt, scripturę sacrę parent,  
 multo minus superiorem, id quod ex  
 primo Apostolorum conventu Ec-  
 clesiastico Extraordinario Act. XV.  
 videre est. Et ex gravi illā piissimi Im-  
 peratoris Constantini cohortatione,  
 quā Episcopus hortatur, ut de positā  
 hostili discordiā, ex divini spiritus di-  
 ctis, quæstionum sumant explicatio-  
 nem. Sic enim ut extat in vita Con-  
 stantini, apud Theodoret. lib. i. cap. 7.  
 ait: *Εὐαγγελικοὶ βιβλοὶ καὶ Ἀποστο-  
 λικοὶ, καὶ τῶν παλαιῶν προφητῶν τὰ θε-  
 σπίσματα σαφῶς ἡμᾶς, ἀλλὰ καὶ οὐκ  
 ἔθεῖς φρονεῖν, ἐκπαυδέουσι.* id est:  
 Evangelici & Apostolici libri, nec non  
 antiquorum Prophetarum oracula planē  
 instruunt nos de iis, quæ de religione sen-  
 tienda sunt. Sunt autem Concilia sive  
 Synodi duūm generum. Alię sunt Ve-  
 ræ Oecumenicæ, sive Concilia Generalia

B 5

pro-

proprie sic dicta, non ex sensu Pontificio, qui Oecumenicum Concilium id solum esse volunt, ubi Papa uel Episcopus Oecumenicus summum habet directorium. Aliæ sunt *μικραίναι*, sive *Nationalia* Concilia. *Generalia* quidem illa sunt, quæ undiq; accitis ex toto terrarum orbe præsidibus Ecclesiarum, auctoritate & edicto Imperatoris congregabantur. *Nationalia* vero, sive *Provincialia*, quæ de controversiis & quæstionibus alicubi inter unius cuiuspiam regionis incolas ortis, disjudicandis & sedandis, ex vicinarum tantummodo Ecclesiarum præsidibus convocata sunt. Unde constat conventum Mariæ & Elisabethæ, Zachariæ. Baptismum item & transfigurationem Christi. Matth. c. III. & cap XVII. præterea conventum quorundam piorum in domo Cornelii. Act. X. Electionem Matthiæ in locum Judæ proditoris. Act. I. ordi-

natio-

inationem demique septem Diaconorum Act. VI, male à quibusdam pro Synodis haberi; sed fuerunt *Conventus Ecclesiastici ordinarii*, quales sæpius celebrati sunt, antequam Apostoli donarentur Spiritus Sancti admirandis præsiidiis. Fiebat autem talis conventus ordinarius, congregato potissimùm Ministerio & Presbyterio ad veritatem & pietatem promovendam, & constabat præcipuè congressu vel Consistoriali, (ut vocant,) qui pro diversitate locorum variat, vel Synodico, speciatim sic dicto. Conventus item Apostolicus cujus Act. XV, mentio fit, neq; ille fuit Synodicus, juxta communem loquendi consuetudinem, sic dictus, sed *Extraordinariam* fuisse collectionem ex historiâ Synodicâ apparet Act. VI, 2. & res ipsa loquitur. Fuit enim conventus unius Ecclesiæ, adhuc Hierosolymis consentis, & ibi sese multiplicantis, licet  
extra



36 DE HERESIBUS PARS GENER. C. VI.  
extra ordinem, singulari de causâ ha-  
bitus. Idem iudicium esto de Conci-  
lio Palestino Anno Christi 44, habi-  
to, in quo Severinus Bihnius Tom.  
Concil. part. 3. & Baronius in Annal.  
Eccles. Tom. I. A. C. 44. n. 14, 15, sta-  
tuit, Symbolum quod ob eam cau-  
sam Apostolorum nuncupatur divi-  
sionis & separationis eorum tempo-  
re esse confectum. Genebrardus &  
alii dicunt Canones qui passim Apo-  
stolorum vocantur, & à Clemente  
Romano conscripti statuunt. Conf.  
Genebr. in Petro. Atque ejusmodi Sy-  
nodus Palestina sive Hierosolymis,  
sive Antiochię ab Apostolis in quâ  
ista omnia pertractata essent, nunquã  
est celebrata; sed conventus Ecclesia-  
sticus plurimum Extraordinarius, qualis  
aut colloqui, aut concilii nomine ve-  
nit, ejusq; plurimus olim in Ecclesia  
usus fuit, ut id ipsum alio loco & tẽ-  
pore sufficienter probatum dabim9.

*Tantum de Parte Generali.*

PARS SPECIALIS.  
 ET I. DE HÆRETICIS  
 IN ECCLESIA JUDAICA  
 TEMPORE CHRISTI.

**E**cclesia Judaica I. In Judæos *nominane non re tales*, quales Publicani, & Samaritani dividitur. Illi à multis pro alienigenis habebantur, & erant deceptores; Hi volebant appellari Judæi, & quidem tam diu, quam diu Judæis benè erat. Mosen recipiebant, simulachra colebant, urinà se lavabant, & resurrectionem cum Sadducæis negabant. II. Dantur *Judæi ad-vētiti*, qui sunt Judæi fœderis & portæ, seu terræ, & dicuntur *Profelyti*. Advenæ justitiæ etiam dicuntur. Hi legibus veterum Judæorum se subiciebant, & sex Noæ præcepta diligenter observabant. Ut (1) Observacionem Sabbathi. (2) Non pernoctare apud gentes. (3) Non colere Idola. (4) Ha-

(4) Habere domum peculiarem se-  
pulturæ. (5) Agnoscere quatuor sup-  
plicia. (6) Observare centum & tre-  
decim præcepta. III. Sunt *veri Judei*.  
Et hi considerandi juxta tres urbes  
metropolitanas. Alii erant *Babyloni-  
ci Judei*, hoc peculiare habentes, quod  
legerent scripturam cum interpreta-  
tione Chaldaicâ Onkelos. Alii sunt  
*Hierosolymitani*, qui habent Targum  
Hierosolymitanum. Et tandem *Judæi  
Scriptuarii*. Solæ scripturæ literæ in-  
hærentes, quorum amplissimus ad-  
huc in Libano monte numerus repe-  
ritur. IV. *Judæi Hellenistæ*, qui &  
*Alexandrini*; Dilcernebantur illi à  
veris *Judæis*, non gente, sed schisma-  
te, sortiti enim tale nomen, quia ver-  
sionem agnoscebant LXX. Interpp.  
& exosi reliquis *Judæis* erant, qui in  
alienâ linguâ scripturam legerent, &  
extra solum *Judaicum* sacra tracta-  
rent; Hos *Judæi* & *Thalmudistæ* per  
con-

contemptum vocabant Syderum & Planetarum cultores.

Ex Ebraeis vero pullularunt PHARISÆI, SADDUCÆI, & ESSÆI. De quibus tribus sectis legatur Drusii tractatus.

PHARISÆI subdividuntur in alias scissuras, ut refert ex aliis Dn. D. Mirel. Syntag. Hist. Eccl. (1) In Impingentes, quia pedibus suis identidem concutiebant terram. (2) In Schismaticos homines, carnales admodum. (3) In sanguinem fundentes; Nam caput tondebāt communiter ad sanguinis usq; profluvium. (4) In Mortarios, à tegumento capitis, quia mitram capiti imponebant, non absimilem mortario. (5) In Phariseos ex amore tales. (6) In Phariseos ex timore. (7) In Phariseos quid dēbeo facere & faciam illud, & tales ex superbiā ita dicebantur. (8) In Phariseos *ἵμεσθα μισαί*, indies enim aquā se lava-

lavabant ad abluenda peccata. Data autem ipsis nomina hæc & imposita sunt à piis Pharisæis, ad turpitudinem illorum denotandam. Moderni vero in Europâ degentes Judæi, hi proprie sunt Pharisæi, quia omnes scripturæ interpretationes ex Talmude mutant. Pharisæi nomen habebant à separando non quod separati essent peculiariter ad hoc studium legis, sed quia ab aliis peculiare videri volebāt. (1) In vitæ munditia (2) Dignitate, & sanctitate. (3) In habitu. Erant autem Pharisæi ex omni tribu Judæorū. Dogmata Pharisæorum quod attinet, Fato omnia attribuebant, & de transmigratione piorum cum Pythagorâ sentiebāt; traditiones scripturæ æquiparabant, Sabbathum strictè observabāt, ita ut ne fœminæ quidem eo tempore in partu laboranti succurrerent, nec calceum eo die exuebant, jejunabant bis in septimanâ, die scilicet Jovis &

vis & Lunæ, quando ex foro redibant, manus & totum corpus lavabant, cibum non sumebant cum peccatoribus, nec sinebant se tangi ab iis, inter orandum prolixi erant, stantes in publicis locis ter de die orabant, horâ tertiâ nobis nonâ matutinâ, sexta nobis decima meridiana, & Nona nobis tertiâ pomeridiana. Decimabant omnia sua, jurabant per cœlum per terram, per Hierosolymam, per caput. Illa juramenta quæ peragebantur, quando liber legis capiti imponebatur, erant inviolabilia, erant præterea superbi, hypocritæ, honoris cupidi, &c. In hoc tñ. laudandi quod essent misericordes, libenter enim Eleemosynas suppeditabant; Vide præter scripturam, *Elavium Josephum libro duodevigesimo Antiq. Judaic. c. 2.*

**SADDUCÆI.** Hi nomen habebant à quodâ Hæresiarchâ Zadock. Utrum autem præter Pentateuchum agnoscant

scant & reliquorum Prophetarum scripta, est de quo Docti adhuc certant; Hoc tn. ex scriptis illorum meo arbitrata colligilicet, illos Sadducæos qui inter Judæos vixerunt, etiam Prophetarum scripta recepisse. Animam hominis statuebant interire cum corpore, nullos enim spiritus agnoscebant nisi corporeos; Hinc Angelos Act. XXIII, 8. dicuntur negasse, sed non simpliciter negarunt, sed tales quales nos intelligim<sup>9</sup>, absq; corpore. Pœnas omnes æternas negabant. vid. *Joseph. lib. 3. Antiq. Jud. cap. 19.* Erant agrestes, quem processum in judiciis observarint vid. *apud Euseb. lib. 2. cap. 23.* Fatum omne negabant.

ESSÆI ab Ebræo קְהֵלֵי יְהוָה i. e. ὁσίοις, Sanctus, sic dicti, quasi sancti & à sanctitate nomen ducentes, erant morum gravitate præditi. Fatum rerum omnium Dominum statuebant, animarum

marum credebant immortalitatem,  
 omne lucrum odio habebant, bona  
 omnia ipfis erant communia, deditis-  
 simi agriculturę, nullos admittebant  
 seruos. *Joseph. lib. 18. Antiq. Jud. cap. 2.*  
 mutatorias vestes non habebant, ue-  
 na eaque alba veste induti ince-  
 debant, non libenter disputabant, e-  
 rant enim mansueti, in opere mane-  
 bant ad horam usq; quintam, silentio  
 erant deditissimi, raro jurabant, in or-  
 dinem eorum qui reciperetur, per bi-  
 ennium probari debebat. Mosem  
 summę venerabantur, in spuendo de-  
 cus quoddam observabant, Sabbathi  
 observantissimi, propter moderatam  
 vitam longavi maxime fuerunt pre-  
 reliquis, habitabāt etiā in pagis, & sine  
 viatico iter instituebant. De iis videat-  
 ur *Philo Judæus* in lib. 20. cui titulus;  
*Quod omnis probus liber, s. Quod liber sit  
 quis quis virtuti studet.* It. *Joseph. loc. cit.*

De reliquis hæreticis in Ecclesia  
 Judai-



Judaicâ ante nativitatem Christi quales fuerunt *Ophitæ, Cajani, Sethiani, Dositheus, Samaritani, Nazareï, Marbonæi, Genistæ, Meristæ, Heliognosti, Rannarum cultores, Masoritæ, Musca-Accaronitæ &c.* vide *Catalogum Hereticorum D. Honorii Augustodunensis Ecclesię Presbyteri.* Hoc seculo cura & opera M. Joh. Fuchte S. S. Th. Prof. in Acad. Julia Anno 1612. editum. Item. S. Philastrii Episcopi Brixienfis *Catalogum* ibid. ejusdem cura denuo teorsim editum & à mendis repurgatum Anno 1611.

## II. IN ECCLESIA CHRISTI.

### SECVLI PRIMI HÆRESES.

Eusebius lib. 3. cap. 32. Ex Hegesippo de Ecclesia sic scribit: *Ad ea inque tempora, virgo pura & incorrupta mansit Ecclesiâ, iis, qui sanum salutaris prædica-*

*dica-*

dicationis canonem corrumpere conati sunt, si tamen aliqui fuerunt, in obscurâ quâdam caligine ad id usq; temporis delitescens. Postquam autem sacer Apostolorum chorus differentem sortitus est finem, & generatio illa præterit, quæ divinam sapientiam ipsis auribus audire meruerat, tunc impii erroris conspiratio per seductionem eorum, qui alienam doctrinam tradebant, initium coepit; qui etiam quoniam nemo amplius superstes erat ex Apostolis, nudo iam vertice contra veritatis prædicationem, falsi nominis scientiam, ex adverso prædicare conati sunt. Hactenus Eusebius.

Quæ autem post tempora Christi primæ fuerint hæreses, alii aliter exposuerunt. Nicephorus quidem lib. 4. Ecclesiast. suæ Hist. cap. 7. ex Hege- sippo varias hæreses recitat, ut Thebuten, unum ex septem hæreticis, Simonem, Cleobium, Dositheum, Gortheum, Masbotheum, Adrianum &c. sed isti hære-

hæretici partim solo nominis indice noti sunt, partim ad Judæorum de religione dissensiones s. hæreses, superius modo recitatas pertinere videntur. Si tñ. temporis rationem sequi velimus, Principem inter hæreticos Novi Testam: qui sacris literis enumerantur, locum accipit.

I. SIMON SAMARITANUS. Ut Simon hic omnium quæ sub Evangelio postea secute sunt hæresium fons & parens fuit, sic hæresis illius matrix & radix omniū appellatur, à qua omnis *ψευδώνυμ.* Dei cognitio, & adulterina initium sumit, quemadmodum scribit Irenæus lib. 1. cap. 20. & 30. Euseb. lib. 1. histor. cap. 13. Fuit autem hic Simon Samaritanus ex oppido Gython, vel Gytis, primum homo obscurus, sed qui propter magicas artes claruit, adeo ut antequam Evangelium in illis regionibus prædicaretur, plurimum etiam in media ipsa

ipsa urbe Samaria celebraretur; sed miraculis quæ à Philippo, postea vero à Petro fiebant, obstupefactus, majora, quam quæ ipse arte illa Satânica præstare posset, effecta ab iis edicte contemplatus & admiratus, accessit ad religionem & Baptisma Christianum, quod quemadmodum Epiphanius ait, nomine & titulo tenus amplexus est. Cœterum summus semper fuit hypocrita. Eo tñ. nocentior Christianæ religioni fuit, quod & quædam de ea didicisset, & nomen Christianum profitebatur. Sicut eadem ex antiquitate Ecclesiastica & Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. cap. 5. de hoc Simone referunt; Portentorum hujus Simonis Magi hypotheseum, sicut à Centuriatoribus recensentur. Præcipuæ fuerunt sequentes: 1. Se illum Christum affirmavit, qui visus quidem esset pati à Judæis, nihil autem mali pertulisse. 2. Scortum suum

suum Helenam, quam & Selenam, item Ennoeam nominabat, peculiarem Dei vim affirmavit esse. Scipsum quoq; in Monte Sinai Legem Mosi in Patris persona dedisse Judæis, teste *August. lib. ad Quodvult deum &c.* Unde Romæ magnifica ei statua erecta fuit inter duos pontes Tiberinos, cum hac inscriptione: *Simoni Deo Sancto*. Tandem vero cum Dæmonum ope in cælos evolare tentaret, Petro Apostolo preces contra eum fundente, præceps ad humum prostratus, miserime interiit.

II. PSEUDO-APOSTOLI: Proximum à Simone Mago locum Pseudo-Apostoli habent, qui Antiochiæ & in cæteris per pluribus Asiæ minoris partibus, postquam Apostoli Christi lætum Evangelii nuncium passim annunciarent, emerferunt, sinceram Evangelii doctrinam partim *κακογυλίας* Judaismi, partim ambitione & avaritia

tia

tiâ propriâ diluentes, laboribus item  
Apostolorum atq; piorum fidelium  
cooperantium sese impudenter ac  
nefariè opposcentes, idq; magnâ cû  
Ecclesiæ clade. Dogmata autem e-  
orum absurda præter alia erant. 1.  
Non gratis aut sola fide salvari ho-  
mines, sed opera quoq; necessaria  
esse ad salutem, & impossibile esse  
sine bonis operibus quenquam salvari.  
2. Circumcisionem Christianis ad  
salutem esse necessariam, nec sine ea  
salvari posse. 3. Humanas traditio-  
nes necessario esse servandas, & cor-  
poris superstitiosam afflictionem  
singularem Dei cultum esse. Contra  
hos Conventus ille Ecclesiasticus  
plurium Extraordinarius, qui vul-  
gato Concilii nomine venit, Hiero-  
solyms institutus est, ubi non solû  
dogmata ipsorum absurda à Jacobo  
ut Præside conventus, reliquis con-  
gregatis, proposita, sed etiam  
tandem

C

tandem

tandem ut hæretica damnata, fidesq[ue]  
 verà ut purior doctrina à totà Ec-  
 clesiâ confirmata est. Act. XV, 19, 20.  
 Quod & Ecclesiæ Antiochenæ literis  
 Paulo & Barnebæ, Judæ item & Syl-  
 vano ut comitibus datis, significatū.  
 cap. eod. v. 27. 28. 29.

III. NICOLAITÆ. Licet post Cerin-  
 thum & Ebionitas, Irenæus eos putet,  
 tamen teste scripturâ in Apocalypsi,  
 & Eusebio lib. 4. cap. 29. appa-  
 ret, quod eadem, quâ Simon Ma-  
 gus, tempestate Nicolaitæ turbarint  
 Ecclesiam. Dicti autem sic à Principe  
 hujus sectæ Nicolao Antiochiâ ori-  
 undo, qui unus fuit ex 7. Diaconis,  
 qui cum Stephano in viduarum &  
 pauperum ministerium electi fue-  
 runt. Hujus autem tam furiosæ im-  
 pietatis & turpitudinis causam affert  
 Epiphanius. Tom. 7. lib. 1. hæc: Nimi-  
 rum, quod cum Nicolaus ad quorun-  
 dam continentium & virginum imi-  
 tationem

rationem ἐγκρατείας & perpetuò  
 à conjugè sua abstinere contra Pauli  
 præceptum. 1. Cor. 7. v. 1. promi-  
 sisset, impatiens coitus iterum ad u-  
 xorem rediit, & propter intermissam  
 consuetudinem intemperantius ea,  
 quæ formosissima censebatur, usus  
 est. Cum a. se inconstantia & intem-  
 petiss. libidinis vitio apud Ecclesiam  
 prægravari sentiret, primum dixit,  
 omnino necessarium esse uxores ha-  
 bere, & cum iis cohabitare, ad eò ut  
 dixerit, εἰ μή τις καθ' ἡμέραν λα-  
 γνέυει ζωῆς ἔδύναται μετέχειν ἀν-  
 ων. Deindè longius progressus in  
 obscœnissima & absurdissima quæq;  
 prolapsus est. Hæc Epiphan. Longè  
 aliter Clem. Alexandr. lib. 3. Strom.  
 qui refert: quod hic Nicolaus, ut Ze-  
 lotypia suspicionem evitaret, uxo-  
 rem permisserit abuti eà volentibus.  
 Unde illa fœda doctrina orta, licitum  
 esse, quâ quis vellet, fœminâ uti, ex



Platonica quadam lege foeminas omnes communes habentes. Præterea teste *August.* Non Deo, sed Angelis Nicolaitæ tribuunt rerum creationem & res ipsas creatas. Johannes hanc hæresin Apoc. II. v. 6. 16. potissimum refutavit, & haud diu post auctorem duravit, teste *Euseb. l. 3. c. 29.*

Commemorantur præterea in sacris historiis *Alexander Aerarius*, & *Hymeneus*, quos Apostolus Sathana tradidit propterea quod à vera fide descivissent. *Timoth. I. 20.* In eo scilicet, (in quantum historia nobis suggerit,) quod negaverint, per filium Dei nos salvari, sed per Angelos viam nobis patere ad Patrem, ut & *Colossensium Pseudo-Apostoli* docuerunt *Coloss. II.* Et *Philetus*, qui resurrectionem mortuorum negabat. *II. Timoth. II. 18.* item *Diotrephes*, cujus insolentiam Johannes epistola sua tertia, v. 9. 10. taxat,

Ipsis

Ipsis adhuc viventibus Apostolis, patet ex Irenæo, quod extiterint qui Ecclesiam Dei turbarent CERINTHUS. & EBION.

CERINTHUS & Ebion licet eodem tempore vixerint, inter se tamen dissenserunt, nec eadem dogmata semper sunt amplexi. Fuit autem Cerinthus natione Judæus, & sic circumcissus, itaq; omnes Christianos circumcidendos contendebat. In Ægypto eum philosophiam didicisse tradunt, sed ut postea apparuit, infeliciter. Utrumq; ambitiosum hominem & prorsus corporis voluptatibus deditum fuisse tradunt ipsius errores. Hic in Asiâ & maxime Epheso heterodoxa sua sparsit, omnemq; doctrinam de Christo ad Philosophiam examinavit. Statuit autem: Mundum non à Deo factum esse, sed à virtute quâdam valde separatâ, ab eâ principalitate, quæ est super univer-

fa, & ignorante etiam qui est supra  
 omnia, Deo. Jesum non ex virgine,  
 sed ex Josepho & Marià, similiter  
 ut ceteri homines esse natum, pro-  
 ptereaq; filium naturalem Josephi,  
 & post Baptismum descendisse in  
 eum Christum, ab eâ principalitate,  
 quæ est super omnia, figurâ colum-  
 bæ, & hunc annunciasse Patrem in-  
 cognitum, & in fine revelasse iterum  
 Christum de Jesu, & Jesum passum  
 esse, ac resurrexisse, Christum  
 autem impassibilem permanisse exi-  
 stentiam spiritualem. Præter hæc  
 Cerinthus vitam æternam in hac vi-  
 tã esse & in urbe Hierosolymorum  
 statuit; Esse autem eam omnium  
 carnis voluptatum fruitionem, &  
 usum, quæ per mille tantum annos  
 sit duratura, ejusq; sententiæ fun-  
 damentum ponebat, quod mille an-  
 norum Apoc. 20, 2. facta sit mentio.

Omnia

Omnia insuper scripta Novi Testam. sprevit, excepto Evangelio Matthæi. Judam proditorem Christi magni æstimabat, & honorabat. Tandem tamen ruinâ balnei oppressus, miserè periit *Irenæus. lib. 3. cap. 3.*

EBION. De hoc Epiphanius Tom. 1. lib. 2. cap. 30. sic refert: Habet abominationem Judæorum, nomen Nazæreorum, Essæorum opinionem, Cerinthianorum formam, Carpocratianorum improbitatem, & Christianorum vult habere appellationem. Ipsius falsa dogmata fuerunt. 1. Christum non esse verum Deum, nec ante Mariam extitisse. 2. Concedebas λόγος sive Filium Dei esse quidem, aliquid divinum, sed sine substantiâ in Deo Patre esse, eodem planè modo quo in animâ hominis dicitur esse facultas sentiens ac intelligens. Sic ergo concessâ Essentiæ unitate, Filium & Spiritum Sanctum propri-

as ὑποστάσεις constituere, simpliciter negavit, propterea quod filius & Spiritus S. sint in Deo, haud secus atq; sapientia, iustitia, misericordia, & cæteræ virtutes in Deo esse dicuntur, nimirum prorsus ἀνυπόστατος. Blasphemavit porro Christum verbo Dei illuminatum, prophetasse quidem & miracula divina edidisse, sed communi cum aliis Prophetis & Apostolis modo, ac virtute, gradu licet excellentiore. Quæ blasphemiam cum longè lateq; serperent, necessitas quædam Johanni Evangelistæ & Apostolo illata fuit scribendi, tum Evangelium, tum Canonicam illam epistolam. Quo utroq; scripto impietas etiam isthæc ex Asia profligata fuit, teste *Eusebio. lib. 3. cap. 28.* De Ebionitis vero, vel ut alii Ebioneis, ab Ebione, (ac mendici seu pãuperes, eo quod verà fide destituerentur) sic dictis. Ita Irenæus lib. 1. cap.

cap. 26. habet : *Ebeonitæ consentiunt mundum à quodam Deo factum, ea autem quæ sunt erga Deum, similiter ut Cerinthus & Carpocrates opinantur. Solo Evangelio Matthæi utuntur, Apostolum Paulum Apostatam legis dicentes. &c.* Mores eorum quod attinet, ritus Judæorum ferè omnes receperunt : Nam Hierosolymam ut domum Dei adoraverunt, ab omni edulio ex carne facto abstinerunt, idq; ideo quia ista animalia commistione corporum pronata essent, indies se baptizarunt, dixerè quoq; à Deo Christum & Diabolum fuisse constitutum, & Christum futuri seculi sortem accepisse, Diabolo vero hunc mundum esse concreditum. In curandis morbis auxilium Dei sic implorarunt : *Cœli, terræ, salis & aquæ creaturarum & Angelorum Deus adesto & fer opem. Vid Epiph. loc. supra cit. de Ebeonitis.*

SECUNDI POST CHRISTUM  
NATUM SECVLI HÆRESES.

I. MENANDRIANI, quibus Egesippo *Menandrianiste*, ut refert Euseb. lib. 4. cap. 22. vocantur, à Menandro Samaritano, Simonis Magi, conterraneo, contemporaneo, & discipulo sic dicti, primarii è Simonianâ stirpe surculi, & ex primo & impurissimo Simonianorû fonte rivi fœtidissimi, sed paululum aliter à Præceptore Menandro sunt informati, qui dixit: Unû esse Patrem incognitum, se verò esse virtutem ab ipso missam. *Epiphani. Tom. 2. lib. 2. cap. 22. Euseb. lib. 3. cap. 26. Irenæus. lib. 1. cap. 21.* de eo scribit: Eodem modo quo Simon, se eum esse affirmabat, qui missus sit ab invisibilibus, salvatorem pro salute hominum; Mundum autem factum ab angelis. Horum hæresis in duas partes dissecta est, in SATURNINOS, & BASILIDES, ut re-

fert

fert Euseb. lib. 4. cap. 7. SATURNINI.  
 & Saturniani, à Saturnino, quem  
 Epiphanius & Theodoretus semper  
*Saturnilium* vocant, (qui hæreticus  
 fuit in Syria, Antiochiæ scilicet ad Das-  
 phnen,) sic dicti, docebant: 1. Unum  
 Deum Patrem esse Unigenitum, 2.  
 Mundam à septem angelis, ut & ho-  
 minem esse factum, 3. Duo esse ho-  
 minum genera, alterum nequam,  
 alterum verò bonum; 4. Salvatorem  
 venisse ad dissolutionem malorum  
 hominum, eumq; incorporalem &  
 sine figurâ, putativè tantum visum  
 fuisse. 5. Resurrectionem carnis per-  
 negarunt. 6. Matrimonium primus  
 Saturninus appellavit doctrinam Dæ-  
 moniorum, Uxores enim commu-  
 nes habebant. 7. Prophetias quasdã  
 ab iis septem Angelis, qui mundum  
 fabricaverant, quasdam vero à Sa-  
 thanâ dictas esse. 8. Et postremo  
 abstinendum esse ab animalium esu.

BASI-



*BASILIDES* in Ægypto locis Alexandria vicinis docebat. 1. Unum quendam innatum Patrem seu increatum, & virtutem quandam summam esse, quam barbaro vocabulo *ABRAXAS* nominabat, propterea quod id vocabulum græcis literis scriptum, trecentos, sexaginta quinque Deos denotaret. 2. Tot etiam cælos statuebat, & tot dies habere annum, quot sunt cæli. 3. Nō illum primogenitum à Patre in terras missum, & Christum dictum, neque tamen passum esse, sed Simonem Cyrenæum, secundum ignorantiam & errorem Judæorum crucifixum esse: nam Jesum accepisse formam Simonis & stantem irrisisse eos. 4. Animæ solius esse salutem, corpus vero non resurgere. 5. Legem & Prophetias à mundi fabricatoribus imprimis vero ab eo principe, qui eduxerit populum de terra Ægypti, datas fuisse. 6. Idolothys

sis

tis uti licere contra decretum synodi  
Apostolicæ, Act. XV, 29. 20.

II. CARPOCRATES ÆGYPTIUS.

Saturinō & Basilidi *ὄρχεον* &  
æqualis fuit Carpocrates Ægyptius,  
genere Alexandrinus, Platonicæ disci-  
plinæ scientissimus; ut Tertull. lib.  
de anima refert. Dogmata ejus hæc  
sunt: 1. Mündum non à Deo, sed ab  
Angelis quibusdã, Deo inferiori-  
bus esse factum, quorum præcipuus  
sit Diabolus. 2. Christum nterum ho-  
minem fuisse, & reliquis omnibus  
hominibus similem. 3. Homines in  
hac vitã esse sub imperio malarum  
potestatum, & Angelorum, & eos-  
dẽ angelos peccatis placari, ut in cœ-  
lum extimũ dimittant eos, qui per  
omne scelerum genus sese volitarũt.  
4. Uxores debere esse communes.  
5. Animas mitti in corpora, ut omne  
genus libidinis peragant, & quæ pa-  
rum peccarint, bis ter, vel sæpius e-  
mittere,

mitti, donec omnia vitiorum genera  
impleverint. Quin & discipulos suos  
cauterio in posteriore parte dextræ  
auriculæ notabat. Hisce prioribus  
se opposuit Irenæus eorum falsa  
dogmata refutando. Horum autem  
omnium Saturnianorum, Basilidia-  
norum, & Carpocratianorum disci-  
puli uno nomine deinceps *Gnostici*  
dicebantur, à summâ videlicet co-  
gnitione quam falso sibi tribuebant.

Pertinent autem ad hoc secundū  
seculum proprie sequentes hæreses,  
& inter eos.

I. *AQUILAS PONTICUS* initio cō-  
memorari potest, qui, ut Epiphani. lib.  
de mensuris & foederibus scribit,  
*Cum vanæ Astrologiæ nimium crederet*  
*& quotidie positionem nativitatis sue*  
*spectaret, reprehensus à Doctoribus eo no-*  
*mine, se non corrigeret, sed potius con-*  
*sentientiè se illi opponeret, expulsus est ab*  
*Ecclesiâ velut inutilis ad salutem.* Un-  
de

de factum, ut postea abnegato Christianismo, profelytus sit factus, & circumcisisus Judæus, atq; tunc Ebræam linguam discere cœpit, quâ cognitâ, interpretatione scripturæ aggressus, testimonia de Christo agentia aliter interpretatus est.

2 VALENTINUS, à quo Valentini-  
ani, natione Ægyptus fuit: Is primû  
ad imitationem Hesiodi, qui in The-  
ogonia suâ triginta Deas adducit  
longam contexuit fabulam, de tri-  
ginta Æonum tanquam Deorum ge-  
neratione, ubi nascentes & nuben-  
tes, & generantes fiunt Æones, ut  
Tertull. ait. Dein negavit Christum  
verum corpus è substantia Mariæ vir-  
ginis assumisse, sed cœleste, seu spi-  
rituale habuisse, quod per Mariam,  
velut per canalem transierit. Tum  
tria hominû genera constituit; Unû  
*πνευματικόν* eorum, qui à naturâ fi-  
dem excellentissimam haberent, &  
salvi

salvi fuerint; & hos à Setho esse, unde *Sethiani* hæretici. Alterum  $\psi\upsilon\chi\iota\kappa\acute{o}\nu$ , qui ipsi quoq; à naturâ, sed eam fidem haberent, operibus tamen eos salvari, & hos ab Abele esse, unde *Abelitaë & Abelonii*. Tertium  $\sigma\alpha\rho\kappa\iota\kappa\acute{o}\nu$  eorum, qui nullo modo ad salutem pervenire possent. & hos ex Caino progenitos, unde *Cainiani* hæretici. Præterea negabat resurrectionem carnis & animam tantum salvari. Tandem quædam in Prophetis probabat, quædam improbat. Opposuit se huic *Tertullianus in libro peculiari contra Valentinum, & Ireneus lib. 5. contra hæresin Valentini.*

Habuit hic Valentinus præter Sethianos Abelitas & Cainianos multos alios discipulos, qui quædam in doctrina Præceptoris mutarunt, quædam obscurarunt peregrinis vocabulis, quædam & addiderunt, ut fuerunt *Secundus* unde *Secundiani*,  
*Ptolo-*

*Ptolomæus*, *Heracleon*, *Marcus* à quo  
*Marcitæ*, *Colarbas*, sive *Colarbasus*,  
*Florinus* unde *Floriniani*, *Blastus*, *Ada-*  
*miani*, qui *Adamum*, sed perperam  
 imitabantur: *Ophiteæ*, sive *Ophœi*, aut  
*Ophiomorphi*, qui serpentem illum,  
 per quem *Eva* decepta fuit, colebant,  
 & adorabant, tanquam is *Christus*  
 fuisset. Tandem *Archontici* ultima  
*Valentinianorum* fex sub *Constan-*  
*cio*, qui mundum à quibusdam coele-  
 stibus spiritibus conditum esse asse-  
 verabant, & septem cœlis singulos  
 præficiabant angelos, tanquam gu-  
 bernatores. Scripta *Novi Test.* planè  
 tollebant. *Vetus Test.* majori ex par-  
 te rejiciebant, & homines salvos fi-  
 eri contendebant, quamvis flagitio-  
 sissime vixissent, si modo aliquam  
*Dei* cognitionem præ se ferrent; Ho-  
 rum *Archonticorum* socii fuerunt  
*Ascruptæ*, qui omnia vasa *Sacramētis*  
 administrandis destinata furiosè fran-  
 gebant.

3. CERDON. Eodem ferme quo Valentinus tempore, Cerdon Ecclesiam adortus est, qui è Siria Romam profectus. Hic duo statuebat principia contraria. Unum, superiorem Deum, bonum, misericordem, clementem, Patrem Domini nostri Jesu Christi. Alterum, sævum, rigidum & punientem mala, unde legem Mosaicam penitus repudiabat, ut & Prophetas tanq. sævi illius Dei ministros. Negabat Christum ex Maria virgine natum, & simulatè illi accidisse, quæ Evangelica commemorat historia, carnis præterea resurrectionem negabat.

4. MARCION. Fuit hic Cerdonis discipulus, quem Romæ vidit, cum quo familiariter conversatus est, cujus & furores auxit, natione Ponticus, ortus Synope civitate, quæ ad Pontum Euxinum, sita est in Paphlagonia, & vetus Milesiorum colonia erat;

erat; sed Icytha terrior, Massagata in-  
 humanior; Isthro fallacior, ut ait Ter-  
 tullianus lib. 1, adversus eum; Ac epi-  
 scopo patre, viro probò natus est,  
 fuitq; in adolescentiâ sanctitatis o-  
 stentator, adeo ut, (quemadmodum  
 scribit Epiphanius, ) virginitatem  
 Monachi habitu profiteretur: Fuit  
 enim *Μοναχὸν*. Cum vero hic ipse  
 Marcion ob stuprum aliquando vir-  
 gini illatum, à patre excommunica-  
 tus, non statim reciperetur, ac ne Ro-  
 manus quidem Episcopus ad quem  
 confugerat, absolvere ipsum vellet;  
 Ille hac impetrandæ veniæ despera-  
 tione percussus, Cerdoni se adjunxit,  
 quod severiorem in se Ecclesiæ disci-  
 plinam experiretur, & esse conque-  
 reretur, eademq; cum Magistro do-  
 gmata communia habuit. 1. De  
 duobus Diis & Christum non  
 verum hominem fuisse, sed fictum  
 & phantasticum corpus habuisse, &  
 gestasse,



gestasse, quod è cælo, non ex virginis  
 Mariæ substantia sumserit; neq; verè,  
 sed *δοκίσει* tantum & phantasmate  
 quodam, sive illusionè passum pro  
 nobis fuisse contendit; Quare ge-  
 nealogiam Christi à Matthæo & Luca  
 descriptam ex Evangeliiis illorum tol-  
 lebat. Ab hoc absurdo etiam qui  
 eum secuti, *Δοκίται* dicti fuerunt.  
 2. Legem Dei per Mosen promulga-  
 tam; item Prophetas V. T. omnes re-  
 pudiavit & rejecit. Deniq; totum Ve-  
 tus Test. damnavit, in quo varias  
*ἀντιθέσεις* attulit, quas ipse college-  
 rat, ut scribit Tertull. & in hoc uno  
 maxime laboravit, venenatis scriptis  
 & sibilis ut legem contrariam Evan-  
 gelio *καὶ πάντα* demonstraret. 3. Nu-  
 ptiàs etiam damnavit; & ad suæ sectæ  
 commendationem suos virginitatè  
 & castitatem profiteri voluit. Itaq;  
 concordantes etiam inter se conju-  
 ges

ges separavit, & induxit suasitq; di-  
vortia fieri inter bene constituta ma-  
trimonia, contra verbum Dei. 4. Sed  
& carniū esum, imprimis autem  
animalium prohibuisse Marcionem,  
testatur *Irenæus lib. 1. cap. 30. 5.* Ba-  
ptismum repetendum docuit, si quis  
post primum acceptum lapsus esset,  
nec id semel tantum, sed ter & sæpius  
quoties quis peccaret. 5. Pro mortuis  
Catechumenis quosdam substituit,  
quos illorum nomine baptizavit, ut  
illi jam mortui salvi fierent. Pauli lo-  
co abutens qui est 1. Corinth. XV 29.  
6. Animarum humanarum in alia  
corpora revolutionem, seu μετα-  
ψύχωσιν defendit, quod ex Plato-  
nicorum & Pythagoreorum somniis  
profectum est. 7. Bella deniq; omni-  
no damnavit, tanq. mali Dei opus,  
nec ea Magistratui Christiano gerere  
licere ulla ex causa putavit. Hæc fuere  
venenata illa hominis tela adversus  
orthodoxam fidem. Ut

Ut truncus, in varios mox ramos  
 pullulat, sic Marcionis hæresis multos  
 eosq; infelices & inauspicatos pro-  
 gressus fecit, multi enim Marcionis  
 discipuli numerantur, quorum primi  
 & notissimi: *Potitus, Blastus, Synerus,*  
*Basilicus, Prepon, Python, Hermogenes,*  
*Lucianus,* à quo *Lucianistæ, Apelles,*  
 non pictor ille memorabilis, is enim  
 ante tempora incarnati Christi vixit,  
 fuitq; natione Græcus; nec etiam is  
 qui ut vir sanctus à *Sozomeno* lib. 6.  
 c. 28. cōmendatur, fuitq; anachore-  
 ta: Sed hic *Apelles* fuit natione Syr<sup>us</sup>,  
 Marcionis discipulus, qui propter  
 scortationes ab oculis Marcionis Ma-  
 gistri Roma Alexandriam secessit.  
 Primum enim cum *Philomena* qua-  
 dam, quam *Prophetissam* vocabat,  
 & semper comitem suarum habebat  
 doctrinarum, post autem cum alia  
 passim scortatus est, quanquam Præ-  
 ceptor ipsius, suos discipulos con-  
 tinen

inentiam vovere doceret. Scripsit  
 quædam veluti librum, quem *Philo-*  
*menæ* scorti sui revelationes appella-  
 vit, item alium quem inscripsit, *sylo-*  
*gismi*, ut ait Tertullian. Ab hoc *Apel-*  
*le*, *Apellitæ* nomen sortiti sunt. *Seve-*  
*rus* successor *Apellis* in schola *Mar-*  
*cionitarum*, vel etiam ut scribit *Epi-*  
*phan.* illi *ὀυχορροῦ*, cujus tamen  
 hæresis aliquanto posterius innotuit,  
 maximè in Orientali Syria, cum jam  
*Apelles* in eadem Syria Meridionali,  
 & in Ægypto suum instituisset, *Apel-*  
*lis* amulatione impulsus *Severus* er-  
 rorem & ipse suum eudere voluit,  
 dicti vero sunt ab hoc *Severo* disci-  
 puli ejus *Severiani*. Omnes tamen hi  
 reliquis dogmatibus *Præceptoris*  
*Marcionis*, nihil addebant, quæ quod  
*Ver. Test.* suos quosdam, libros *Apo-*  
*cryphos* substituerent; *Vino* tan-  
 quam impura creatura abstinere ju-  
 bebant. Vinum enim ex *Diaboli* in  
 serpen

serpentis forma cum terra coeuntis  
 semine productum putant, & vitem  
 enatam. Nam eam tortuosam esse  
 docent. Acinum autem qui est in bo-  
 tro similem esse veneno serpētis, imò  
 vinum ipsum, uti venenum, homini  
 esse noxium. Botrum deniq; qui ni-  
 ger est, similem esse Draconi involu-  
 to. Muliebrem sexum tanq. Diaboli  
 & infelicis potestatis opus ut dete-  
 stabantur & averfabantur, sic & præ-  
 clarissimum illud Dei opus ut inutile  
 plane damnabant.

5. ENCRATITÆ, Cerdonianos &  
 Marcionitas in historia Ecclesiastica  
 sequuntur *Encratitæ*, quorum Magi-  
 ster primus *Tacianus* fuit, hujus au-  
 tem præceptor erat *Justinus Martyr*,  
 natione Samaritanus, sed tamen sum-  
 mus Philosophus & verè pius Christi-  
 anus. Mortuo autem *Justino*, cujus  
 metu & reverentia tenebatur, ut ipse  
 sibi nomen aliquod compararet, no-  
 vam

vam sectam, hic Tacianus, qui erat  
*Φιλόδοξος* ut *Euseb. lib. 4. hist. scribit,*  
 instituit. Et cum primum Scholam  
 in Mesopotamiâ circa duodecimum  
 annum Antonini Pii instituisset, post-  
 ea tamen, licet Romæ initia sumeret,  
 hæresin maximè spargere cœpit An-  
 tiochiæ ad Daphnen in partibus Cili-  
 ciæ, & in Pisidia, ut Epiphanius scri-  
 bit. Habuit hic Tacianus *Severum*  
 quendam Scholæ suæ successorem,  
 non eum, de quo jam diximus qui suc-  
 cessor Apellis fuit, sed alium, à quo  
*Severiani-Taciani* dicti sunt, ut Theo-  
 doretus vocat, Latissimè & citissimè  
 hic error est propagatus, nam in Phry-  
 giâ Encratitarum conventus publici  
 erant, maximè Ancyrae, quæ fuit me-  
 tropolis, & ad tempora usque Juliani  
 Imperatoris durarunt, qui *Busirin* En-  
 cratitarum Episcopum interfecit, ut  
 scribit *Sozom, lib. 5. cap. 12.* Diceban-  
 tur verò Taciani discipuli *Ευχερισται*  
 D ad li-

ad licentiã vitiorum, nomine cõfictõ  
 διὰ τῆς ἐγκρατείας, quod coelibat-  
 tum, & à vino & esu carniũ absti-  
 nentiam, profiterentur. Præcipuæ au-  
 tem eorum errorum hypotheses fue-  
 runt sequentes. Legem Mosaicam,  
 ut & cæteras scripturę sacrę libros ex-  
 terminare sategerunt. Adamum  
 etiam damnatum fuisse, nec ex la-  
 psu suo salutem restitutum: alios etiam  
 homines damnatos fore, nisi ad suam  
 Ecclesiam accederent. Carnium &  
 vini usum improbabant, unde & in S.  
 Cœnâ pro vino, meram aquam sub-  
 stituerunt, unde *Aquarii* & *ὕδω-  
 ροὶ* orti sunt. Nuptias sim-  
 pliciter tanquam opus Diaboli da-  
 mnabant, & appellabant fornicatio-  
 nes, unde & Christum ex Davidis se-  
 mine natum fuisse negarunt.

6. MONTANISTÆ s. CATAPHRY-  
 GES. Horum ἀρχὴν fuit *Montanus*  
 ex vico *Ardaban*, alii ex *Pepuza*, uter-

que

que locus in superiore Phrygia, vicinus natali solo Marcionis, oriundus, homo ambitiosus, & jam Taciani fermento fœtido corruptus, suam & ipse sectam privatim habere voluit. Ut autem majorem fucum faceret, ad Simonis Magi imitationem secum habuit scorum, non unum tantum, ut ille, sed duo Priscam & Maximilam, quas à propriis maritis abductas secum circumduxit; Ille verò zeli & pietatis prætextu, propriis viris relictis, impostorem Montanum sequebantur, sed fucò & stibio facie medicata & ad perditissimarum meretricum exemplum culte & vestite incesserunt. Cum autem impostor ille initiù suę doctrine in parvo quodam eoque ignobili Phrygię vico fecisset, postea ( ut erroris est velocitas ) quam latissimè eam extendit. Cappadociam n. universam, ut Epiphanius inquit, & Galasiam occupa-

D 2

vit.



vir. Discipuli a. Montani dicti sunt  
 initio *Montanista*, (non à Montibus in  
 quos tempore afflictionis recesserāt)  
 sed nomen hoc sortiti sunt ab eorum  
 Hæresiarcha Montano, quod tñ. post-  
 ea mutarunt, quia Montanus, propter  
 infelicem vitæ exitum, odiosus esse  
 cœperat, aliudq; acceperunt, dedu-  
 ctum à Phrygum regione, unde pri-  
 mum hic erroris fons scaturiit, & di-  
 cti sunt *Cataphryges*, nomine compo-  
 sito à vocibus græcis *κατὰ Φρύγας*,  
 uti ex eadem Montanistarum sectā  
 quidam *Procliani* dicti, vocātur à Ter-  
 tull. *Cata-Proclum*, alii *Æschiniani*  
*Cata-Æschinem*. Cataphryges autem  
 sunt Montani discipuli, & cum Præce-  
 ptore suo tantum Enthusiasmi & re-  
 velationibus sive *εὐσέβει* animi, si  
 qua incidit, tribuebant, ut iis crede-  
 rent, eaq; deliria potius sequerentur,  
 quam verbum Dei scriptum. Perso-  
 nas sacrosanctæ Trinitatis non modo  
 con-

confundebant, sed Montanus etiam  
seipsum, per summam blasphemiam,  
Spiritus illum sanctum esse affirma-  
bat, qui jam pridem Ecclesiæ & Apo-  
stolis promissus, quem ex parte tan-  
tum, & eâ quidem exigua & tenui, illi  
in die Pentecostes accepissent, ipse a  
Montanus haberet, ut ipsius discipu-  
li contendebant, unâ cum Prisca &  
Maximilla sine Mensura. Addebât &  
hoc, Deum nec per Mosen in Veteri  
Testamento nec in Novo per Chri-  
stum potuisse servare mundum, sed  
dum per Spiritum Sanctum, mis-  
sum in Montanum *Hieron. in Epist. ad  
Marcell. cōtra Montanum.* In usu S. Cœ-  
næ panem cum sanguine humano  
miscabant: Conjugium improba-  
bant, ipsi insuper ad exemplum ante-  
signari turpissimè viventes (ille n. in-  
cestuosos concubitus contra jus  
divinum & gentium initos, non im-  
probavit, sed ut ipse eodem vitio cō-

raminatus, concessit) Dignas a. pec-  
 cato pœnas luit, ipse enim Montanus  
 instinctu Diaboli, unâ cum sociis Pri-  
 sca & Maximilla (quod fortasse, cum  
 multa prædicerent, quæ tamen postea  
 falsa sunt deprehensa & irrita, cum  
 non evenirent, hoc a. certissimè even-  
 tum, ipsæ sibi vaticinari non potue-  
 runt) laqueo se suspendit, ut re-  
 fert Apollinaris, & Eusebius lib. 5. cap. 16.  
 Affines his fuerunt *Tascodrongitæ*, *Pe-  
 puziani*, *Quintilliani* & *Spirituales*.  
*Tascodrongitæ* inde nominabantur,  
 quod inter orandum indicem manus  
 in nares rectum immitterent tan-  
 quam palum quendam, ut in precibus  
 suis severiores attentioresq; videren-  
 tur. *Τάσκαλον* enim Epiphan. teste  
*πάσκαλον* i. e. palû, & *δῆρυγ*, *μυ-  
 κήρα*, i. e. nasum, idiomate Phrygi-  
 co significat. *Pepuziani* dicti sunt  
 Montanistæ à loco Pepuza, quod il-  
 lum perditum illius Montani nativita-  
 tis

tis locum maxime venerarentur. Et  
*Quintilliani* à Quintilla, quæ Priscæ &  
 Maxillæ scortis aggregatur, tanquam  
 socia & eorundem errorum Prophe-  
 tissa; Socrat. lib. 4. cap. 28. *Spiri-  
 tuales* quoque dicebantur præprimis  
 à Tertull. propterea quod Spiritus S.  
 maxima dona & χάρισματῶν habere  
 se profiterentur, & hoc nomine ap-  
 pellati maxime gaudebant, à se vero  
 dissidentes Orthodoxos, vocabant  
 ψυχικὰς i. e. animales. Superiori-  
 bus horrendis Montani dogmatibus  
 & seqq. addebant. Pepuzam superio-  
 ris Phrygiæ locum, esse cœlestem il-  
 lam Hierosolymam & civitatem ex  
 quâ Prophetæ vaticinati sunt, cujus de-  
 scriptionem & Johannes Apoc. 21, 2.  
 nobis præbeat, & ad quam nobis sit  
 adspirandum. Mulieres ad ministe-  
 rium Ecclesiasticum admittebant, ut  
 essent Presbyteræ, & Episcopæ i. e. do-  
 cerent, Sacramentaq; administrarent.

Evam primam mulierem magnis laudibus extollebant, eò quod ederet de vetità arbore, quia eà ratione facta sit nostrę salutis causa, sitq; hoc Evę magnum erga nos beneficium, & non potius summum flagitium, ut vult Paulus 1. Tim. 2. 14. Figmentis & blasphemiiis suis fucum ut facerent, dicebant, revelationes esse factas per Quintillam lymphaticam & abrepticam mulierem. Christum denique tunc vel unquam mulieris formã apparuisse sentiebant, sexumq; muliebrem propterea supra marem extollebant, quod in omni modo Scripturę S. contrarium.

7. THEODOTIUS. Montani successor Theodotius fuit unde *Theodoriani*. Fuit a. hic Theodotius longe alius à Theodoro Montanico, quem Apollinaris primum prophetię Montani procuratorem nominat, is aliquãdo eò amentię processit, ut sibi persuaderet,

deret, in cœlos se exaltari & assumi,  
 sicq; in auras sublatus, gravi lapsu pes-  
 sime interiit. Sed hic Theodotius fuit  
 Byzantinus & Thrax natione, arte co-  
 riaris vel *σχυρεὺς* ut ait Epiphanius,  
 Græcorum tamen literaturæ non im-  
 peritus, Artemonis primarius disci-  
 pulus & homo ingenio admodum a-  
 cri. Cum autem in persecutione Ec-  
 clesię gravi sub Severo institutâ, fidem  
 Christianam Theodotius abnegaret,  
 patria (Byzantio) relicta, Româ venit,  
 ubi statim pro Christi proditore &  
 Dei abnegatore agnitus, crimen hoc  
 ut regeret, Christum purum homi-  
 nem ausus est dicere, existimans hæc  
 blasphemiâ lapsus sui infamiam se ex-  
 culari posse, si non Deam, sed homi-  
 nem se abnegasse, id sibi objicientib;,  
 respondisset. Ad errorem vero suum  
 stabiliendum ea scriptura dicta alle-  
 gavit, quæ de Christo ut homine solo  
 loquerentur. Cum a. hanc hæresin

D 5

Romæ

Romæ antea inauditam spargere cœpisset, autoritate Victoris Episcopi ab Ecclesia rejectus est. *Euseb. lib. 5. cap. 28.*  
 Hæreseos ipsius tria capita fuerunt. Scilicet: 1. Christum purum hominem esse, unde ejus divinitatem negabat. 2. Christum ex viri semine conceptum esse, pertinaciter (*teste Epiphano.*) affirmabat. 3. Libros Evangelicos pro animi arbitrio mutabat & mutilabat, hos probans, illos per quos refutabatur improbens.

8. Theodotium excepit **PROCLUS**, *Alcebiades, Themison, Alexander, Patroclus, Arzemon*, (i. *Artemas* dictus, quamvis eum Theodotio priorem judicem, cum ut supra videre, præceptor Theodotii fuerit) *Alogiani & Beviliani*, hi tñ. aliquanto posteriores fuerunt, & his priores sunt *Artotyrite*, Græce *ἄρτοτυρίται*, *δοῦξ ἄγρια* i. e. *Pane*, & *τυγῆ*, i. e. *caseo*. In S. Coenâ enim præter panem caseo etiam u-

reban-

rebantur, ea propter quod caseus fructus esset ovium, quo sacrificii genere Dominus primum Gen. 4. delectatus esset. *Isidorus. ii. Hieron. lib. 2. in Galat. in Proemie.* *Quartidecimavi* sive *Τεσσαρδεκατηραι*, eo tempore orti, quo gravis illa de die paschatis celebrandi, sub Victore, (qui fuit Rom. Episcopus post Eleutherum & sub Severo Rom. Imperatore,) controversia in Ecclesia cœpit. Non diffitemur autem quod antea diversa & dissimilis Ecclesiarum de paschate celebrando consuetudo non fuerit, sed quod ea res & diversitas nondum in contentionem & certamen eruperit, & Ecclesia quæq; suum morem à majoribus acceptum, sine animi scrupulo & superstitione sequens, aliam erroris & schismatis non damnaverit, sed postquam alias se suumq; institutum aliis ambitiosius præferre vellet, de re levi luctuosa & acerrima certamina

mina



mina sunt instituta: Non autem sententia, de die paschatis celebratione, licet diversæ fuerint, si definitionem hæreseos spectes, fuerunt hæreticæ, sed schismaticæ saltem. Alii enim præcisè *die decimo quarto* ejus Lunæ, quæ nascitur primo anni mense, qui est Nisan Ebræis & Martio fere nostro respondet, agendum pascha censebant, & ut simplicissimè dicamus in ipso plenilunio Martii; Alii non ex Lunæ sed Solis potius cursu paschatis diem metiendum contendebant, & simili quo Christus olim passus erat die, mense Martio faciendum esse Pascha, hoc est, sole tenente 20 Gradum (V) arietis, post æquinoctium vernum, sive ea dies esset in plenilunio sive nō. Alii ex actis Pilati, quæ ita vocabant, in VIII. Calend. April. h. e. 25. Martii; alii in XX. Kal. April. h. e. 18. Martii; alii v. XIII, Calend. Apr. h. e. 20. die Martii, Christi resurrectionem incidisse

disse contendebant, eoque die pascha esse celebrandum. Rationes *Quartidecimanorum* extant in fragmento epistolæ Polycratis, quam habet Hieronymus in Catalogo scriptorum. Tantaque fuit hujus schismatis atrocitas, ut septem Synodis, quæ propterea diversis locis & temporibus convenerant, vix tandem effectum fuerit, ut in unam sententiam Ecclesia coalesceret, & uno eodemque die omnes Pascha celebrarent, quanquam ne tum quidem ita huic malo consultum fuit, quin in Synodo etiam Nycæna de eo amplius statuendum fuerit. *Alogiani* & *Berilliani* item fuerunt discipuli Theodotii. *Alogiani* ab Epiphano dicuntur ἄλογοι & ἀλόγιοι, quas voces Latini *Alogos* & *Alogianos* verterunt; Isidorus vero eos *Alogios* appellat, quod λόγον θεῶν qui est Christus, negarent esse Deum & Dei filium. Itaque quod λόγος significationem & voca-

vocabulum, quo Johannes Evangelista tñ. utitur, repudiarent, *Atogii* sunt appellati. Sed etiam *Berilliani* à Berillo Bostrensi, vel ut alii volunt Bostensi Episcopo, (qui est Episcopatus Arabiæ) qui λόγον θεῶν Christum non præsuisse dicunt, quam ex Mariâ nascetur, ut *Euseb. lib. 3 c. 27.* & *Niceph. lib. 5. cap. 22.* tradunt. Error itaq; eorum hic erat. λόγον Filium Dei non esse, neq; eum prius fuisse, quam ex Mariâ nasceretur, eamq; ob causam D. Johannis Evangelium, & Apocalypsin rejiciebant.

9. NOETIANI à Noëto Asiano qui Smyrnæ natus, sunt dicti, ipso quoq; discipulo Montani ut refert *Theodoret. lib. 3. Hæret. fabul.* Cum primum autem hæresin spargere Noëtus cepisset ad Senatum Ecclesiasticum vocatus errorem abjuravit, postea tñ, ambitione nominis sibi comparandi adductus, iterum renovavit & sparsit.

Duo

Duo a. dogmatis ipsius horrendi capita recensentur. *Prius*, docebat unam tantum divinam personam esse, quæ sit Pater, Filius & Spiritus Sanctus, & hanc unam personam & visibilem esse & invisibilem, mortalem & immortalem, patibilem & impatibilem. *Deinde*, idem Noëtus se ipsum pro Mose gessit, fratremque suum Aaronem nominavit. Tandem vero ut Epiphanius scribit, in sepulcris projectus est, & Smyrna ipsius patria ut alii historici referunt, octo post hanc hæresin sparsam annis, terræ motu concussa est, & dejecta. Discipulorum, quos decem volunt fuisse, *Cleomenes* & *Callistus* præcipui fuerunt, vid. *Theodor. loco sup. cit.*

10. *ELCESAI*, vel *ELCESAITÆ*. Noëtianos Elcesai proximè sequuntur, ab Elcesai homine quodam impostore, qui Christianam fidem & nomen e mentitus est, quum utrumque oppu;

oppugnarit apertissime, dicti. Vocati  
 etiam sunt *Sampsai*, græce Σαμψαῖοι  
 ut ait Epiphanius, quasi illi lacertorū  
 generi similes, (quas ἑλιπιδες Græci,  
 i.e. stelliones appellant,) quod genus  
 animalis ut varius notis maculatum,  
 & mutabile, sic isti fuerunt ex pluri-  
 bus hæreticis conflati, & in moribus  
 ποικιλόμορφοι & versipelles cum fi-  
 dem Christianam abnegare non re-  
 formidarent. Item dicti fuere *Alcibia-  
 des*, quia Alcibiades quidam ex Apa-  
 mea Celosyriæ urbe profectus, variè  
 Elcesai hæretici dogmata sparsa, colle-  
 gerit, primusq; accerrime pro iis pu-  
 gnauerit. Sectatores verò Elcesai vo-  
 lebant etiam alio nomine *Prognostici*  
 & *Prophetae* appellari, quod quibus-  
 dam incantationibus confisi, futura  
 se prædicare posse profiterentur, sed  
 ut plurimum de manifestissimo mē-  
 dacio deprehendebantur. Duos Chri-  
 stos perversi hi homines statuebant;

Unum

Unum infernum ex Mariâ virgine natum, & meram creaturam: alterum supernum, diversam ab illo inferiore personam. Præterea Spiritum S. eundem cum Christo esse, quod Christus in singula divisus, sic dicendus Spiritus Sanctus, partim Spiritum Sanctum esse sororem Christi. Aquam tãquam Deam adorabant. Duas quasdam fœminas sanctè ut Deas colebant, quarum unius nomen fuit Marthus, alterius Marthana, quarum pedum pulverem & salivæ scretum servabant & colebant. Negabant peccare eos, qui tempore persecutionis fidem Christianam negant & egerant. Sic autem edocti erant ab antesignano Elcesai, qui propter persecutiones acerbissimas à Jul. Maximino Imperatore Romano excitaras, in quas incidit, & earum terrore perculsus hoc suum dogma finxit, ut in abnegatione Christi sibi faceret delicias, & impunitatem

nitatem concederet. Deniq; librum  
quendam Apocryphum à se conscri-  
ptum tantopere commendabant, ut  
ex ejus vel solâ lectione, omnium pecc  
catorum remissionem à nobis obti-  
neri, contenderent. Sic isti.

TERTIÆ ANNORUM CHRIS-  
TI CENTURIÆ HÆRE-  
SIOLOGIA.

Licet pleræq; hæreses quæ in supe-  
riori seculo ortæ, etiam in hoc vige-  
rint, accessere tamen illis sub initium  
ORIGENIANI hæretici, dicti & *Chylia-  
ste & Mellenarii*. Prius nomen quod  
scilicet *Origeniani* dicti, sortiti sunt à  
Præceptore illorum Origene, Leoni-  
dis Martyris filio, Ammonii Monachi  
discipulo, ut *Eusebius lib. 6. c. 18. 19. 20.*  
tradit. Homo Ægyptius & Alexan-  
drius, in omni literarum genere ex-  
ercitatus, & Ethnicæ Philosophiæ  
præprimis autem Platonici peritissi-  
mus,

mus,

mus, è cujus assidua tractatione, auc  
cœnô potius, suas illas erroris tordes.  
videtur sumsisse: Hic autem tum pro  
pter summam in fide Christi constan  
tiam, tum etiam propter assiduam &  
indefessum scriptioris & disputatio  
nis laborem, *Origines* cognômento  
*Adamantius* dictus est. Illi v. *Chilia  
ste*, Latine *Millenarii* vocati, quod re  
gnum Dei post resurrectionem futu  
rum & promissum, intra mille annos  
finiendum esse, contenderent, abusi  
loco *Apocalypsi*. 20, 2. Hic *Origenes*  
autem initio Patrem nec à Christo,  
nec à Spiritu S. videri posse conten  
dit, & Filium ac Spiritum S. differre à  
Patre quemadmodum homines ab  
Angelis. Et licet Filium Patri *ὁμοούσιον*  
nominaverit, tamen à Patre creatum  
ipsum esse docebat: Et Spiritum S.  
quoq; creaturam nominabat. Sic ani  
mas hominum priusquam in corpo  
ra immitterentur, prius in cœlo vi  
xisse,



xisse, ibique peccasse, & pro peccati  
 admissi genere, in terram hanc & cor-  
 pora, tanquam in carcerem aliquem  
 à Deo, supplicii gratia mitti & detrudi,  
 mundum enim hunc propter sup-  
 plicia animarum factum esse, volebat.  
 Resurrectionem corporum non a-  
 pertè quidem negabat, sed ita de  
 ἐμψυχώσεις, sive παλιγγενεσία  
 Pythagoricà docebat, ut ex consecu-  
 tione vitam æternam & animas no-  
 stras in eà perpetuo futuras esse, mi-  
 nimè videretur concedere. Præterea  
 pœnas impiorum & Diabolorum æ-  
 ternas fore negabat, sed mille anno-  
 rum spatio finiendas, itaq; postea eos  
 esse salvandos, & vicissim electos da-  
 mnandos. Sunt & alia per multa, quæ  
 in isto doctissimo aliqui scriptore  
 merito notantur. Errores a. Originis  
 licet graviter ab Epiphanio, Theophi-  
 lo, Methodio, Athanasio, & Proclo,  
 Episcopis sint oppugnati & ejus Di-  
 scipuli

scipuli in duabus Synodis, ut Alexandrina, statim post mortem Origenis, & quinta generali Oecumenica Constantinopolitana, sint rejecti & damnati, diutissime tñ. permansere & plus quam per 300. annos tanquam continuâ successione & propagatione sustentati sunt, cum etiam sub Imperatore Maurício & Gregorio Magno, Pontifice Romano, adhuc extarent Origeniani, ut ipse in libro 34. Job. & Cassiodorus in Psalm. 9. testantur.

*NOVATIANI, Qui & MELETIANI & CATHARI.* Novatus Afer natione, virus suum in Africa primum sparsit post persecutionem Decianam, dolore repulsæ, cum à spe Episcopatus decidisset, ad res novas movendas inflammatus fuit. Ab hoc Novato ejus sectatores initio dicti sunt *Novatiani*. Dicebantur & *Meletiani*, græce Μελητιανος à Meletio, qui ut docet Socrates

erates *lib. 1. Histor. cap. 6.* Ægyptius  
fuit & in Thebaide regione unius ci-  
vitatatis Episcopus. Hic persecutionis  
illius sævæ, quæ à Diocletiano facta  
est, tempore, à Culciano Thebaidis  
provinciæ præside, in carcerem con-  
jectus, constanter cum non perstitis-  
set, sed Idolis sacrificasset, de gradu  
suo Episcopali dejectus est, ut autem  
se ulcisceretur, eo tandem vesania  
propter impatientiam & ambitio-  
nem progressus est, ut ne Laicos qui-  
dem, qui semel à fide defecissent, licet  
postea pœnitentiam egissent, in Ec-  
clesiam recipiendos, contenderet.  
Dicti item sunt *Cathari*, quod se reli-  
quis hominibus vitâ puriores esse ja-  
ctitarent, proptereaq; à reliquo Chri-  
stianorum hominum cœtu ut san-  
ctiores separarent. Hi omnes denegabant pœnitentiam hominibus, qui  
post baptismum susceptum in abne-  
gatione fidei lapsi essent infirmitate  
quâdam

quãdam, & metu perſecutionis. Hu-  
jus Novati ſocii fuerunt *Novatianus*,  
*Maximus Presbyter*, *Urbanus*, *Cidonius*  
(alii *Sidonius*) *Celeritus*. Qui tñ. depre-  
henſa ejus verſutia, perjuriis & men-  
daciis ad Eccleſiam redierunt.

**SABELLIANI:** Hi dicti ſunt à Sabel-  
lio, qui natione fuit Afer & ex eã Afri-  
cæ regione & provincia quæ Lybia  
proprie dicta eſt, in quã Pentapolis  
ſive Cyrenaica regio, quæ eadem eſt,  
comprehendebatur, unde ſæpe Sa-  
bellius à Scriptoribus Eccleſiaſticis  
cognominatur Lybicus. Præcepto-  
rem autem ut vult *Auguſtin.* & *Epiph.*  
habuit Noëtum, de quo ſeculo præ-  
ced. cujus veſtigiis, ut & aliorum an-  
te eum, ut *Praxeæ* & *Hermogenis* in-  
ſiſtens, à quibus etiam *Praxeani*, *Her-  
mogeneani*, Sabellianæ hæreſis ſecta-  
tores dicti ſunt. Virq ſuum homo un-  
diq; magnâ celeritate ſparſit, adeò ut  
ex Africâ ſtatim Melopotamiam in-  
vaſe-

valerit, deniq; Romam ipsam. Perstiterit autem diutissimè in Oriente, siquidem plures Episcopos etiam aetate Constantini M. Sabellianos & Sabellianizantes fuisse, annotat *Socrates l. 1. hist. cap. 24.* Docuerunt autem Sabelliani. Unam tantum esse in divinitate personam, & Trinitatem nominibus solummodo non autem reipsa, sive *ἰσωςείον* esse distincta. Hi etiam *Patrispassiani* dicti sunt, propterea, quod ex ipsorum errore sequebatur, Patrem passum esse.

**NEPOTIANI.** Nepos Ægyptiacus Episcopus, promissiones Dei sanctis in scripturis factas, Judaicò more exponebat, & millenarios quosdam annorum, corporalibus delitiis, in hac terrà futuros, decernebat, ut *Euseb. l. 7. cap. 23.* refert. Hujus sectatores *Χιλιασται* **CHILIASTÆ** Millenarii dicti fuerunt. Nepotis vero successor in hærese fuit *Coracion.*

SAMO-



Irenæus Christum non esse personam  
 divinitatis, sed merum, sive purum  
 hominem; Deinde in Christo ut &  
 in aliis Prophetis habitasse quidem  
 Deum, sed fuisse illas duas naturas  
 divisim sese habentes, & invicem  
 prorsus incommunicabiles. Statuit  
 etiam *λόγος* Joh. 1. non significare  
 personam à Patre distinctam, sed  
 tantummodo propositum seu de-  
 liberationem æterni Patris de cre-  
 atione mundi & de mittendo, atq;  
 donis quibusdam ornando Christo  
 illo quem merum hominem statue-  
 bat esse. Samositanus autem pro-  
 pter multas & varias disputationes  
 à variis Episcopis cum ipso habitas,  
 tandem Anno 278. post Christum  
 natum, in celebri Antiochenâ Syno-  
 do à *Malchione* Presbytero Antio-  
 cheno erroris convictus & damnatus,  
 sede Episcopali, qua hæctenus fun-  
 ctus erat, dejectus est. Cum autem  
 decreto

decreto Synodi parere nollet, & in Presbyterio sive Ecclesiæ domo adhuc maneret, & Episcopis, & reliquis Presbyteris, inter quos præter Malchionem primi erant, *Dionysius Alexandrinus, Firmilianus, & Gregorius* imprimis Neo-Cæsariensis *Θαυματῶν* appellatus, qui omnes ei summopere restiterunt, appellatus Imperator Ethnicus Aurelianus, eum expulit, & Ecclesiæ pacem restituit.

**MANICHÆI** qui & *Acouanite & Agonistæ*, sunt appellati. *Acouanite* ut Epiphanius scribit à quodam *Acouana* Manetis discipulo, qui in Mesopotamia hunc errorem latissimè diffudit, & accerrimè propugnauit; *Agonistæ* autem, quod se contra gentem tenebrarum, & illius principem Diabolum perpetuo pugnare sua vita suisq; præceptis & doctrina dicerent. Alio eoq; hodie adhuc usitato nomine *Manichei* à Mane Perla dicuntur.



Ille Manes primum conditione ser-  
 vus fuit, manumissus autem, domi-  
 nam cui prius serviebat in conjugem  
 accepit, à qua ditatus in hanc phre-  
 nesin magna ambitione excæcatus  
 extumuit, hunc discipuli illius fasci-  
 nati, Manichæum, qs. Manna fun-  
 dentem nominarunt, insanix nomen  
 ut *Augustinus in libro ad Quod vult deñ*  
 inquit, vitates. Fuit autem hic Manes  
 Buddæ cujusdam discipulus quem Sa-  
 rthanas in solitudinem abreptum  
 strangulavit. Ipse vero Manes post-  
 quam multos in fide labefactasset  
 (quanquam eum unquam Christia-  
 nam religionem didicisse neget *Aug-*  
*ustinus in lib. de Actis contra Felician.*  
*cap. 8.*) & suis incantationibus Regis  
 Perlarum filium necasset, vivus à Pa-  
 tre excoriatus est. Dogmata ejushæc  
 erant: Initio Sacro sanctam Tri-  
 nitatem negabat, & duo rerum o-  
 mnium principia inter se contraria,

COZ-

coæterna tamen, commisit, iisq; re-  
rum contrariarum effectiones attri-  
buit. Bono principio quod Deum &  
lucem nominabat, bonarum: Malo  
autem cui materiæ nomen indebat,  
& tenebrarum, rerum malarum:  
in quorum censu leges Mosaicæ, Pro-  
phetas, policias, conjugia, & alia sce-  
leratè reponebat. Unde asseclæ eius  
omne V. Testam. repudiabant; No-  
vum partim mutilabant, partim reji-  
ciebant. Divinitatem Christi nega-  
bat; eumq; serpentem illum esse per-  
summam Blasphemiam dicebat, qui  
Adamum & Evam decepit. Deum  
Christum non verum hominem fu-  
isse, sed fictè tantum & simulatè pas-  
sum, crucifixum & mortuum, & cor-  
pus Christi in stellis ligatum & luci-  
do globo solis infusum esse, contem-  
debat. Sic de peccato docebat, car-  
nis concupiscentiam non tanquam  
accidens vitium esse, sed tanquam

E 3

natu<sup>or</sup>

naturam ab æternitate malam vituperabat; Interq; ipsam corruptam naturam, & inter opus Dei, non discernens, duas animas duasq; mentes, unam bonam alteram malam, in uno homine inter se conflictum habere docebat. Resurrectionem carnis itidem negabat, & pro ea corpus quidem μετεμψύχωσιν animarum autem ἀνασώματων substi-  
tuebat. Tandem Manes seipsum nominabat Paracletum à Christo promissum, quin & Christum seipsum appellare ausus fuit. Ut ipsius blasphema dogmata pluribus describit, August. lib. de hæres. ad amicun-  
Quod vult deum. In hac hæresi tam atroci & quasi sentina omnium hæreseon clarissimus ille Ecclesie Doctor Augustinus aliquot annis hæsit, sed postea ab eo errore magno Dei beneficio liberatus, ipsam hæresin tanto majore cum fructu postea refutavit

futavit. Si quis autem de Manichæ orū  
moribus plura didicisse völet, legat  
Augustinum *lib. 2. de Manich. morib.*  
*cap. 16. & lib. de fide contra Manich.*  
*cap. 40. & 41.*

Manichæorum hæresis peperit  
quasdam sectas privatis nominibus  
appellatas, inter quas commemoran-  
tur *Patriciani, Paterniani, qui etiam*  
*Venustiani, Priscilliani & Tertullii*, qui  
sequente quarto seculo Ecclesiam  
turbarunt, & novis quidem nomini-  
bus, sed veteres errores interpola-  
runt. *Patriciani*. 1. *Verus Testam.*  
partim repudiabant, partim mutila-  
bant. 2. *Substantiam carnis à Diabolo*  
*non à Deo creatam esse, ideoq; licere*  
*homini sibi ipsi manus inferre.*

*Paterniani*, qui iidem *Venustia-*  
*ni & à Damascëo ἠθικὸς πορροσκόπιαι,*  
*Morum & honestatis irrisores ap-*  
*pellantur, quod omnem vitæ sanctæ*  
*instituentæ rationem, irriderent &*

E 4

Iper-

spernerent, & Cynicorum more lasciva & obscœna quæq; agere non erubescerent: Illi igitur inferiores partes corporis humani à Diabolis factas esse opinabantur, & ex illis partibus omnium flagitiorum licentiam tribuentes, impurissimè vivebant: plane dissimiles *Adamitis* (de quibus supra sec. 2. in hæresi Valentini,) hæreticis, qui nullum membrum corporis humani obscœnum ducebant, ideoq; nudi agebant.

*Tertullii*, sceleratorum hominum animas in Diabolos converti aiebāt; vel animantia iis vitiis similia, quibus ipsi addicti fuerant, quæ *μὴ ἀφύσχωσις*, ante Manichæos, Pythagoræorum erroribus debetur.

QUARTI POST CHRISTI  
NATIVITATEM. SECULI  
HÆRESES.

ARIANI. Hi nomen habent ab Ario  
qui

qui natione Lybus s. Afius fuit, Presbyter in Beucalæ ecclesia sive diocessis, quæ intra Alexandrinæ civitatis mœnia comprehendebatur, qui sive subtili Alexandri episcopi argutio- la commotus ut *Euseb. lib. 2. de vitâ Constantini* tradit, sive animi sui vanitate & ambitione impulsus, quo notior esset, pessimum quendam errorem excudit, & cum primum clam eum Arius insusurraret, industria Meletii episcopi cujus errorem Arius sequebatur detectus & in lucem productus est. Docuerat enim Filium Dei neq; verè aut naturâ Deum, neq; coæternum Patri esse, sed principium habuisse, & ex nihilo conditum esse. Ad hunc errorem stabiliendum certis loquendi formulis utebatur; ἦν ὅταν ἐκ ἧν, erat quando non erat; & rursus tanquam seipsum explicans ἦν ποτὲ ὅταν ἐκ ἧν ὁ λόγος. Erat aliquando cum non erat λόγος, Pa-

E s

ter

ter videlicet Deus, cum non esset  
 filius Dei: seu quod eodem recidit,  
 erat tempus quando non erat Filius,  
*Basil. orat. 1. de filio.* Addebat etiam  
 λέγοντες ἕξ ἕκ ὄντων ex non entibus  
 i. e. ex nihilo conditam creaturam,  
 unde etiam ejus discipuli *Exoucontii*  
 appellati sunt. Sed illi qui postea hanc  
 hæresin professi sunt, Christum non  
 ex nihilo creatum docuerunt, ut scri-  
 bit August. *lib. 3. contra Maximin cap.*  
*14.* Hypotheses autem Arii erant  
 multæ, quas collectas vide à D. Leonh.  
 Hütt. in *L. C. loco de pæo uno & Trino*  
*cap. 2. seu ἀριθμοῖσι. hæres. clas. 3.*  
*p. m. 116.* Singula autem impieta-  
 tis suæ capita ipse Arius breviter  
 complexus est in suâ confessione, quæ  
 extat apud *Athanasium in disputatione*  
*contra Arianos, & sic habet: Credo in*  
*unum Deum aeternum, & Filium ejus*  
*quem ante secula creavit ut Deus, fili-*  
*umq; sibi fecit: Et quæcumq; habet filius,*  
 ca,

ea, cum non haberet, accepisse à Deo, atq; idè illum Patri non æqualem esse, neq; ejusdem dignitatis; sed ut creaturam relinqui & deficere à gloriâ DEI, eundemq; minorem esse, quantum attinet ad potentiam Dei: credoq; in Spiritum Sanctum à Filio genitum. Hæc fuit Arii præcipua impietas quam tamen & ipse, & qui eum sequebantur, mirificis dolis & rebus palliarunt, donec tandem hæc hæresis, vivente adhuc Ario, in *Nicena synodo*, quæ *Oecumenica prima*, circa annum Christi 325. damnaretur: multis tamen annis post latissimè in toto oriente propagata est, & principatum in Ecclesia Dei obtinuit, ut apparet ex epistola concilii Constantinopolitani ad Damasum, & quidem usq; ad tempus Mahumeticæ impietatis indè per *Sergium monachum Arianum* Anno Christi 522, extractæ. Præter supra dictos Arii errores, commemoran-

EUI



tur & alii; Nam negabat Christum animâ rationali præditum fuisse; sed (ut Apollinaris postea etiam somniabat,) divinitatem illam qualemcunq; vice animæ fuisse. Tum per summam blasphemiam nominabat SPIRITUM SANCTUM, creaturam creaturæ: Unde usitatâ illam *δοξολογίαν* (*Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*) sic pervertebat: Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto. Præterea non modo ab Orthodoxis baptizatos rebaptizabat, sed superiores tantum hominis partes, usq; ad umbilicum baptizabat, & inferiores partes ab umbilico ad imos usq; pedes fasciis involvebat, ne aquâ baptismi capiti infusa in inferiores partes diffunderet. Admonitus vero Arius & rogatus ab Orthodoxis, eorum sermonibus & disputationibus ut interesset, & ab erroribus conceptis desisteret, locum quidem eorum petitionibus dedit.

inter

interfuitq; olim Orthodoxorum ser-  
monibus, iisque diligenter attendit,  
non autem sic ut rectius informare-  
tur, sed ex quibus materiam calum-  
nandi uberiores subinde peteret,  
ipsum vero *Alexandrum* Orthodoxe  
de Sacro Sancta Trinitate differente  
*Sabellianismi* insimularer. Cum au-  
tem nulla in ipso emendationis ve-  
stigia apparerent, demum ad Con-  
cilium Nicenum (de quo supra men-  
tio injecta) vocatus est, ibique damna-  
tus, aliquandiu iussu imperatoris Con-  
stantini exulavit. Sed poenitentiae si-  
mulatione & rechneris Eusebii Nico-  
medensis aulici Episcopi perditissi-  
mi, ab eodem revocatus & restitutus.  
Cum a. in Constantinopolitanam Ec-  
clesiam invito & renitente Alexan-  
dro illius sedis Episcopo, ex iussu im-  
peratoris admitti deberet, poena  
ecce Ario gravissima divinitus infli-  
cta est; Egressus enim aula Impera-  
toris

toris multis fautoribus stipatus, magnâq; cum celebritate & pompâ per mediam urbem incedens, subito timore ex conscientia exorto, alvum quasi exoneraturus, in publicas latrinas secessit, sed infelicem ibi ac impiam animam, multo cum sanguine, unâ cum ipsis visceribus effudit, (*Sozom. l. 2. c. 30.*) sicq; justo Dei judicio Arius oppressus, suæ impietatis & perfidiæ pœnas dedit. Duplicem autem Socrates hujus maturati judicii causam refert: Alteram ardentissimas Episcopi Constantinopolitani preces, quibus pridie ejus diei quam in Ecclesiam recipiendus Arius numinis divini imploraverat auxilium. Alteram, perfidiâ Arii, quâ sceleratè Imperatori imposuit, dum subscriptionem suam jurejurando confirmans, non eam intellexit, quæ ei subscribenda exhibita

fuerat,

fuerat, verum illam, quam domi subscripserat, & sub alâ gestabat,

Arii successores fuerunt præcipui  
 1. *Aëtiani* 2. *Eunomiani*. 3. *Eudoxiani*.  
 4. *Theophroniani*, qui non modo furores Arii maximam partem confirmarunt, sed & novis paradoxis adauxerunt, dum, λόγον quidem concesserunt esse ἐνυπόστατον, & Filium Dei, verum non tantum Patri ἐπιρῆσιον, sed κατὰ πάντα ἀνόμοιον. per omnia dissimilem, h. e. non modo personâ, sed & essentiâ, potentiâ voluntate, prorsus disparem. Illi formulam etiam baptisandi sic pervertebant: Baptizo te in nomen Dei ingeniti, & Filii geniti & Spiritus Sancti sanctificantis, & à condito filio conditi, unde & postmodum *Anomai*, *Anomii*, & *Anomiani*, ab ipsâ dogmatis scilicet absurditate sunt dicti, & tandem *Aëriani*.

**MACEDONIANI.** Sic à Macedonio

nio dicti sunt, qui aliorum relatu in-  
 tio fuit artis plumariæ, deinde Pres-  
 byter in Ecclesiâ Constantinopolita-  
 nâ, demum factione Arianorum,  
 qui omnia sub Constantio poterant,  
 ejusdem Ecclesiæ creatus est Episco-  
 pus, circa annum Domini 350. ma-  
 lis itaq; artibus eum gradum conse-  
 quutus insolentissime se gessit. Trux  
 enim & sævus in omnes qui ab ejus  
 confessione dissentiebant, fuit, in-  
 quos magnas persecutiones excita-  
 vit, etiam immittis militibus, qui illos  
 impunè trucidarent, propter quas  
 & suis & aliis etiam invisus, maxi-  
 meq; propter commotam ab eo in  
 Paphlagoniâ seditionem, ab ipso Im-  
 peratore crudelis judicatus, tandem  
 depositus & in exilium actus est, ubi  
 circa locum, qui Pylæ dicuntur, con-  
 senuit, justas sive blasphemix luens  
 pœnas. *Socrates lib. 2. cap. 38. lib. 4.  
 cap. 20. Sozom. lib. 4. cap. 26.* Traditur  
 à Theo-

à Theodoro lib. 2. hist. cap. 5. eum  
 curasse, ut Paulus, quem episcopus  
 Constantinopolitano perfidè de-  
 jecerat & privaverat, Cucuzi ubi exu-  
 labat, strangularetur. Unde Suidas  
 improbum & impium Macedonium  
 eum vocat. Et si autem huic Macedo-  
 nio hæc præcipuè hæresis tribuitur,  
 quod divinitatem Spiritus Sancti ne-  
 gaverit, unde πνεύμα πλάχῃ nomē  
 meruit; tamen Filium etiam Dei Pa-  
 tri non ὁμοῦσιον sed ὁμοιῶσιον fuisse  
 contendit. Statuit etiam Spiritum S.  
 vim esse à Deo conditam, quæ essen-  
 tiæ divisione singulis rebus creatis  
 insit, adeo ut singulæ creaturæ partem  
 essentiæ Spiritus Sancti intra se habe-  
 ant. Contra hunc Macedonium &  
 eos qui ipsi ad stipulabantur *Secunda  
 Synodus Oecumenica* Anno Christi 381.  
 ab Imperatore Theodosio Majore  
 vocata fuit *Constantinopolim*, patrum  
 Centum & quinquaginta, quos inter  
 Gregoriū

Gregorii duo, Nazianzenus & Nyssenus, Cyrillus item Hierosolymitanus, & Amphilo-chius Iconiensis primas tenuerunt. In hoc Concilio decreta Nicenæ Synodi confirmata sunt, & ad Symbolum Nicenum post illa verba, *καὶ εἰς τὸ πνεῦμα ἀγίων*, fuerunt adjecta reliqua omnia, quæ hodie ad finem usq; in Niceno Symbolo leguntur, ut testatur Zonaras Tom. 3. In hac Synodo lata etiam est sententia, ut ait Socrat. lib. 5. cap. 8. Ut Constantinopolitanus Episcopus haberet primatus honorem post Episcopum Romanum, quod Constantinopolis nova Roma esset,

**APOLLINARISTÆ.** Fuerunt duo Apollinares Pater & Filius. Pater Alexandrinus natione, & patria, qui docendi gratia in Syriam profectus, Beryti primum, post Laodiceæ, Grammaticam professus est. Ubi inuito conjugio, filium sibi cognominem sustulit,

lit, qui Rhetoricam artem ætatis ac-  
 cessione felicissime docuit; Uterq;  
 autem ad Ecclesiasticum ordinem  
 Laodicæ vocatus est, & Pater qui-  
 dem Presbyter; Filius autem Lector  
 creatus, primum Orthodoxam &  
 Nicenam fidem tenuit, ut apparet ex  
*Socrat. lib. 2. cap. 46. & Sozom. lib. 5.  
 cap. 18.* Postea cum Episcopatus, quæ  
 affectabat, spe decidisset, à recta ve-  
 raq; Christi doctrinâ descivit, ut ait  
*Theodoret. lib. 5. histor. cap. 4.* Acces-  
 sit & hoc, quod cum Pater nimium  
 familiariter, conversaretur cum *Epi-  
 phanio Sophistâ*, homine profano à  
 Georgio Laodicæno Episcopo post  
 multas, sæpiusq; iteratas admoni-  
 tiones, tandem est excommunicat9.  
 Hac ille ignominie nota inflamma-  
 tus horrendum hoc dogma protulit;  
 Christum corpus assumisise sine ani-  
 mâ rationale, & habuisse corpus  
*ἐμψυχώμενον* vel *σάρκα ἐμψυχο-*

*μένην*



μενην quidem, sed quod saltem haberet animam *θερηκην* & *αλογον*, tantum, non autem *λογικην*, h. e. eam animæ partem, quæ in homine *υς* & *ηγυμενον* appellatur. Sed opposita Apollinaritatis est confessio hæc, *εκ αναίσθητον, εκ ανόητον σαρκα & σωμα ειχεν σωτηρ*. Ut docet Ephiphani.

*Et hi quidem in Oriente fuerunt.*

**DONATISTÆ.** Interea in Occidente, & quidem in Africa Donatus quidam ex Numidiâ ortus propter repulsam in Episcopatu Carthaginiensi, ab Ecclesiæ communionem se secrevit, & Cæcilianum, (qui ipsi prælatus fuerat) & reliquos qui ipsum ordinaverant Episcopos, perfidiæ & abjuratæ fidei Christianæ accusavit, quod in persecutione sub Maximino sacros codices hostibus tradidissent. Sed ter apud diversos  
judic

Judices falsitatis reus deprehensus,  
unde schisma, ut Augustinus in libro  
de hæres. Ad Quod vult deum ait, in  
hæresin vertit; Nota, De Donatistis  
apud alios Ecclesiasticos scriptores  
Græcos nil reperitur, quam quod  
Hieronymus ejus hæreseos initium  
rejiciat in annum Christi 331. cum  
jam Constantinus Imperator ad fi-  
dem Christianam conversus esset  
& Theodoretus hujus hæreseos me-  
minit lib. 4. Hæretic. Fabul & Jo-  
hannes Damascenus. Statuebat aut  
Donatus, inter alia: Eam Ec-  
clesiam demum pro verâ habendam,  
quæ omni peccato careret. Deinde  
Sacramentorum vim & efficaciam  
ex ministri illa præbentis dignitate  
& sanctitate metiebatur; & bap-  
tismum pollutum esse censebat, qui  
à polluto ministro daretur etiam cre-  
denti & pio homini nedum infanti  
& parvulo; eamq; ob causam reba-  
ptiza-

prizabat à Catholicis & Ortho-  
 xis jam baptizatos. In tertio dogma-  
 te cum Arianis de Christo, Donati-  
 stæ consentiebant. Fuerunt hi etiam  
 dicti *Majorini*, quod contra Cæcili-  
 anum, Majorinum Episcopum legis-  
 sent. Item *Parmenianistæ*, à Parme-  
 niano Donati discipulo; Romæ au-  
 tem (nam eo usq; hæresis dissipata  
 erat) *Montenses & Campates* appella-  
 bantur, à montibus fortasse, & cam-  
 pis, in quibus clàm conveniebant.  
 Brevius vero ista persequor, quod  
 scripta Augustini tum in epistolis,  
 tum in disputationibus & libris ad-  
 versus eos editis certè quidem uti-  
 lissima & doctissima nota omnibus  
 existimem esse, ex quibus hujus pe-  
 stis & hæreseos tota vis & ratio lu-  
 culenter intelligetur. Scripsit etiam  
 adversus eos Opratus Milevitanus  
 Episcopus libros. 4. Fuerunt in hac  
 sectâ etiam *Circumcelliones* sic dicti  
 quod

quod in agris cellas quasdam & tugi-  
 guriola inhabitarent, & homines  
 suæ doctrinæ adversarios, ibi ipsis  
 obvios impunè irruerent, eos iugu-  
 larent & trucidarent. Hi per varia  
 mortis genera, maximè præcipiti-  
 rum, aquarum suffocatione, & igni-  
 um conflagratione seipsum necare  
 consueverunt, & in istum furorem  
 alios etiam seducebant, ut Martyres  
 scilicet in sua secta habere videren-  
 tur. Inter ipsos Donatistas factio-  
 nes ortæ sunt *Rogatensium, Urbanen-  
 sium, Maximinianistarum*. Contra  
 hos postremos initio reliqui Donati-  
 stæ Concilio trecentorum & decem  
 Episcoporum Bagajæ habito, inter  
 alia constituerunt, ne baptismus Chri-  
 sti ab istis, licet sceleratis Episcopis  
 jam effusus repeteretur, sed valeret.

*Gnostici sive Priscillianistæ*; Illi non  
 à Priscilla, quæ fuit Montani scortum  
 & longe ante hujus erroris initium  
 vixit,

vixit, de qua vide supra seculo 2. hæret. 6. sed à Priscilliano homine Hispano initium nominis sumserunt. Hic ab Helpidio rhetore in fide institutus & edoctus est: Helpidius autè ipse à Marco quodam Monacho, qui Ægyptia Memphi profugus propter Valentis edictum de revocandis ad suas curias & ad publica munera subeunda monachis, venit in Hispaniam: sed jam Manichæorum labe & veneno plane rabidus & infectus. Ita igitur fascinatus Priscillianus errorem suum in Hispania sparsit Et licet grateranter à multis exciperetur & Episcopus in Laletanis populis constitueretur, semper tamen Episcopus Emeritensis Idacius (quibusdam Cordubensis Adyginus) dictus, errorem ipsius oppugnavit, donec tandem in synodo Toletana error Priscillianistarum, damnatus, & Priscillianus ipse excommunicatus atq;

arque anathemate percussus, iussu  
Imperatoris fugere coactus est. Sed  
homo pertinax cœlum non animum  
mutavit. In Gallia enim confugiens,  
& tandem Treviris quæ est urbs Ger-  
maniae celeberrima subsistens, vene-  
na sua evulgare conatus est, sed hære-  
seos ibi convictus morte mulctatus  
est: Dogmata autem Priscillianista-  
rum hæc erant. Principio Prophetas  
V. T. tanquam abrepticios & phana-  
ticos homines, ignaros voluntatis di-  
vinæ accusabant, eorumque scripta  
adspernabantur. Deinde cum Simo-  
nians & Manichæis duos statuebant  
Deos, unum bonum alterum mali-  
gnum. Tum cum Sabellianis & Ori-  
genistis eundem esse Patrem & Fili-  
um & Spiritum Sanctum contende-  
bant, qui pro diversis officiis diversa  
nomina sortiantur. Carnes animalium  
ut pollutas creaturas damnabant.  
Atris tantum tribuebant, ut invitos

F

homi-

homines malos fieri dicerent, vi fide-  
rum coactos. Tandem perjuria &  
mendacia bona conscientia fieri posse  
arbitrabantur, hunc versum jaſtantes:

*Jura, perjura, secretum prodere noli.*  
Latissime autem hoc venenum per-  
vagatum, sic ut non solum Hispani-  
am, Galliam, multos Italiae locos in-  
fecerit, sed mare etiam trajecerit & in  
Africanas Ecclesias pervenerit, quare  
Augustinus coactus, libros contra eos  
de mendacio conscripsit.

**PELAGIANI.** Pelagiani à Pelagio  
Pritanno Monacho Archihæretico,  
(qui ad differentiam Pelagii Samosa-  
tensis qui sub Imp. Valente pius &  
Orthodoxus fuit, Brito cognomina-  
tus,) dicti. Hi partim Novatianorum  
atq; Melicianorum dogmata repetie-  
runt, partim quaedam alia in Italiã,  
Galliã & Angliã sparserunt, quemad-  
modum Cœlestius & Julianus Pela-  
gii discipuli in Africã. Unde iidem  
hære-

hæretici etiam *Cœlestiani* fuerunt dicti. Statuerunt autem: Adamum etiam si non peccasset moriturum tñ. fuisse, ipsà lege seu conditione naturæ, ideoq; mortem non peccati pœnam esse. Deinde peccatum Adami ipsi soli, non verò ipsius posteris nocuisse, ac proinde parvulos peccatum Origenis à Parentibus nec trahere nec habere. Addebant & hoc; Infantes fidelium etiam non baptizatos salvos fore, sed vitam æternam extra Dei regnum ineptè collocabant. Dicebant præterea libidinem & concupiscentiam bonam esse. Tandem & docebant, Homines etiamnum liberum arbitrium habere, quod sit ipsis ad bonum agendum sufficiens, & meritis operum nostrorum Dei gratiam impetrari posse fingeant. Unde postea meritorum de congruo & cōdigno absurda & horrida vocabula apud Pontificios nata sunt. Huic hæ-



refi ut & alteri paulo antiquiori Manichæꝝ refutandę, divinitus excitatus fuit D. Aurelius Augustinus Hippo-  
nensis in Africâ Episcopus, cujus re-  
futationes utriq; hæresi oppositæ VI.  
& VII. Tomo illius operum legantur.

**MARCELLIANI.** Marcellus Ancyrae,  
quæ fuit Metropolis Galatiæ Episco-  
pus, Arianismum vitare cupiens in  
contraria currit, & in Samosetani de-  
liria incidit: Trinitatem asseverans  
esse Deitatis extensionem, ut ceræ li-  
quefactæ; Ideoque ex Patre extenso  
Filium, ex Filio extenso Spiritum Sano-  
ctum producebat. Unam itaq; in di-  
vinis ut essentiam sic personam statu-  
bat, quæ aliis atque aliis nominibus  
tantummodo discerneretur. Tandem  
in Hierosolymitanâ primùm, mox et-  
iam in Constantinopolitanâ Synodo  
damnatus fuit, jussusq; librum suum  
comburere, sed non paruit, unde epi-  
scopatu abdicatus est, in quem tamen  
post-

postea Sardicensi Concilio, quod se suumque scriptum nunquam intellectum fuisse diceret, restitutus est. Vide *Socratem* l. 1 c. 36. & *Sozom.* l. 2 c. 33.

**PHOTINIANI.** Marcelli Discipulus Photinus ex minore Galatia oriundus, primum Ancyranæ Ecclesiæ Presbyter, post Sirmii oppidi Pannoniæ, Illyrico conterminæ ad Saum amnem in Europâ sitæ Episcopus, Marcello præceptore acerbior & obstinior, & propius ad Arianos accedens, Christum merum tantum fuisse hominem, non etiam Deum docebat, suæque *ὁμοιόθεως* tum demum initium habere cœpisse, cum ex Mariâ conceptus esset. Addebat etiam solum nos personam Dei Patris & solum Christum hominem debere colere. Latissime astatim hic error sparsus est, cujus tum immani fœtore offensi Patres Orthodoxi Sirmium convenerunt, ibique eum communibus sententiis damna-

F 3

runt,

runt, Photino ipso audito, & à Basilio Ancyrae Episcopo erroris convicto. *Socras. lib. 2. cap. 29. 30.* Eundem Marcelli & Photini errorem *Lucius* etiam quidam Episcopus propagavit, acriterq; defendit, qui non tam Arianus quam Samosletanus, interim ab Arianis Ecclesiae Alexandrinae in Episcopum obrusus, ob seviciam vero qua Ecclesiam demortuo Athanasio tui seculi lumine, invaserat, lapidibus penè obrutus, demum Alexandria expulsus, & summo Ecclesiae totius gaudio ejectus Samosatam concessit, ibiq; errorem suum veterem propagavit. Ab hoc *Luciani* dicti sunt.

**AUDAEANI** qui & **ANTHROPOMORPHITÆ** & **ANTHROPIANI**. *Audaeani* dicuntur à parente ipsorum *Audaeo*, qui fuit homo lingua & natione Syrus ex Mesopotamia profectus, sub extrema Arii haeretici tempora vixisse & floruisse ab Epiphanio scribitur.

Hic

Hic vivendi more & generis superbia, luxu, otio, pompâ, opibus & lauditiis Episcoporum Christianorum offensus, sæpeq; eos coram increpâs, illis invisus, ut austerior, Prælatorûq; Ecclesiæ calumniator, non solum convitiabatur sed & accusabatur, tandem pugnis etiam ab iis cæsus, & vi ex ejus Ecclesiæ, cui præerant tales Episcopi, cœtu ejectus, novum sibi cœtum colligere coactus est, cumq; illo in solitudinibus procul à culturâ ingenii semotis locis vitam agrestem vixit, Deumq; talem, qualem sibi imaginabatur corporeum terrenum creatum, sensibilem, & in locis illis aliter, cum sacris cõventib; haud interesset, ubi de Deo informaretur, concipere non potuit. Ut a. è Mesopotamiâ profectus, Syriam, Damascenam Antiochenam, Ægyptum, Asiam ipsam, sic & ultimo post relegationem in exilium, Gothiam, ad quam cõcesserat,

sera tibi & consenuit, doctrinae suae  
 veneno infecit. Discipuli hujus initio  
 dicebantur Audaxani, postea quo-  
 que alio nomine dicebantur  
*Anthropomorphae*. Ad hujus erroris  
 majorem notationem & detestatio-  
 nem à Lactantio *lib. 4. cap. 30.* dicun-  
 tur *Anthropiani*. Dogmata a eorum  
 praecipua hæc fuerunt. Deum esse  
 corporeum & humani corporis for-  
 mam habere. Cum Donatistis etiam  
 cœtum Ecclesiae propter vitia homi-  
 num deseruerunt, ipsi tamen interea  
 gravissimos etiam peccatores in Ec-  
 clesiam recipientes & ad sacramenta  
 admittentes.

**MELITONII.** Andeanorum do-  
 gmata & Melitonii defenderunt, quo-  
 rum tamen Augustinus in lib. de hæ-  
 res. ad Quodvultdeum, haud mentio-  
 nem injicit, in indice tñ. ejusdem li-  
 bri & ex veteri quodam codice sic ap-  
 pellantur Melitonii, quis autem hic  
 Melito

Melito fuerit, incertum est, dum de eo adhuc inter doctos ambigitur, ubi, quis fuerit & quando vixerit.

SEMIARIANI. Audæanis statim Epiphanius subjunxit ἡμιαρρίους *Semiarianos*, qui etiam *Acatiani* dicti ab autore nimirum suo *Acatio* Cæsareæ Palæstinæ Episcopo, monoclo & colite, qui ut verum animi lumen amiserat, ita corporis quoq; alterum oculum, unde *μονοφθαλμὸς* nominatur. Ab hoc igitur *Acatio*, *Acatiani* *Semiariani* dicti sunt. Hi Filium Patri κατὰ ἔσιν & φύσιν similem quidem principio dicebant esse: sed postea κατὰ θέλησιν solummodo, h. e. secundum voluntatem similem, non a. secundum essentiam, quod ipsum postea rursus mutantem, in deterius Filium Patri ἀνόμοιον esse docuerunt. Atq; hi posteriores *Acatiani* ἐτερόδοξοι à primis sunt nominati, qui ὁμοίωσιον

F 3

etiam

etiam expunxerunt, sed utrobique erratum, filius enim Patri non ὁμοούσιος sed ὁμοῦσιος. Valdè autem & quidem astutè hæc hæresis propagata, cum nomine Nicenæ Synodi commendata. Id factum fraude Ursarii hujus hæreseos adjutoris, hic Ariminensem confessionem oblatam Principi, subdolè confirmavit, convocata raptim Synodo Nicæam non Bithyniæ, sed Thraciæ urbem. Unde suum Symbolum vatrè postea Nicenum appellarunt, cum Niceum potius nominandum esset *Sozom. l. 4. c. 14.*

**MESSALIANI** sive *Massaliani* qui & **EUCHETÆ** Precatores dicti, Messaliani sive Massaliani dicti sunt à Participio plurali Chald. Paël ܡܫܠܝܢ Orantes à R. Chald. ܡܫܠܝܢ & ܡܫܠܝܢ significante oravit, cujus mediam radicalem (ܫ) græci ob Euphoniā in duplex sigma mutarūt. Alio nomine græco & **Euchetæ** (εὐχέται) precatores dicti, quod

quod orationi & precationi tota anima-  
nimarum nostrarum salutis vim at-  
tribuerent, & Christi sanguini adime-  
rent, Satanam item orando sensibili-  
ter ejici, eumq; tam exiguum quam  
parvum animalculum aut fumum fi-  
eri statuerent. Item *Martyriani* quod  
quendam à suis interfectum pro Mar-  
tyre venditarent & colerent. Item  
*Euphemitæ* (ἐὐφηνίται) quod ἐὐφ-  
ημίαι quaedam sive elogia è sacris lite-  
ris repetita semper cantarent. Et  
*Enthusiastæ* quod insano furore abre-  
pti se quidvis esse somniarent. Et *Sa-  
thaniani* quo Sathanam vitæ, actio-  
numq; nostrarum præsidem esse con-  
tenderent. Addebant his alia duo:  
De unicâ divinâ personâ, & corporali  
essentiâ Dei. Baptismum etiam ad  
præcedentia tantum non autem ad  
futura peccata abolenda & remitten-  
da valere volebant. Ad hujus falsi illu-  
strationē utebantur simili desumpto  
à no-



à novaculâ, quâ pili tantum enati se-  
cantur, & raduntur, latentes autem  
adhuc in carne non item. Plura eo-  
rum dogmata si quis nosse desiderat,  
legat Joannis Damasceni, qui Epi-  
phanii abbreviator fuit, tractatum de  
hæresibus.

*HELVIDIANI, sive ANTIDICOMA-  
RIANITÆ.* Helvidiani ab Helvidio  
homine rustico & vix literis imbuto,  
sed Auxentii Ariani Episcopi disci-  
pulo, dicti sunt. Alio nomine *Anti-  
dicomarianitæ* non ab Autore, sed hu-  
jus hæreseos dogmate absurdo, dice-  
bantur. Statuebant n. Mariam post  
editum Christum, virginem non per-  
mansisse, propterea quod Christus  
primogenitus appellaretur, Matth. i.  
& fratres Christi in scriptura nomi-  
narentur. Sed rectè eis responsum est,  
quod & Juris Consulti tradunt: *Pri-  
mum* non ad sequentes, sed ad antece-  
dentes referri, eumq; primum esse,  
quem

quem nemo præcessit. Sic particula *Donec* (non cognovit eam, donec) id quidem quod præteritum est, tollit, non autem propterea futurum ponit. Fratrum autem nomen Ebraicorum more omnes, qui ejusdem sunt cognationis complectitur.

**COLLYRIDIANI.** Collyridiani, genus hæreticorum ex Scythia vel superiore Thracia ortum, ἀπὸ τῆς κελ-  
*λυρίδι* Ⓞ, h. e. à torta panis, sive tortilis placentæ genere quam in honorem B. Mariæ virginis flata anni die, cuidam puellæ in sellâ curuli vel thensa velo rectâ sedenti superstitione offerebant. Hi præter id quod B. Mariam in Dei locum efferrent, etiam hoc delirarunt, scilicet, hominum & pecudum animas ejusdem esse naturæ & essentiæ, & proindè mortales.

**LUCIFERIANI.** Luciferiani à Lucifero, (qui fuit Caralitani Sardinia oppidi, à Caralitano promōtorio, quod  
*Afri-*

Africam spectat denominari, & Colonia populi Romani, Episcopus, dicti sunt. Hic Lucifer ambitione & irâ plenus, quum Paulinum creaturâ à se Antiochiæ Episcopum præter cõmunẽ rotius plebis consensũ, sed tantum unius quanquam sanioris populi partis votum sperni intelligeret, neq; acceptari ab Eusebio Vercellensi Episcopo, qui sedandis in Ecclesiâ motibus ab Alexandrinâ Synodo illuc missus erat, videret, magis excandescens Lucifer, se, sibiq; consentientes alios, ab Eusebio separavit & Alexandrinam Synodum licet Orthodoxam, & cui ipse etiam Athanasius inter fuerat, damnavit. Hi statuerunt: Mundum hunc universum Diaboli opus esse. Animas hominum ex carne sumi, & ex transfusione alterius animæ formari. Pœnitentiam Clericis post ordinem in Ecclesiâ acceptum lapsis plane negabant: Laicis a. spem veniæ omni tempore concedebant.

JOVI-

## JOVINIANI sive JOVINIANISTÆ.

Hi à Joviniano, qui Romæ Monachus & postea Clericus fuisse videtur, unde & aliàs Romanus dictus, nomen sortiti, statuebant: Omnia peccata inter se paria esse. Homines post Baptismum non peccare. Conjugium cœlibatui, & nuptias virginitati adæquabant, Jejunia & hujusmodi corporales exercitationes ut vocat Apostolus 1. Timoth, IV, 8. spernebant. Damna & rejecta tandem est hæc hæresis & sententia in Synodo Tolemsi.

**QVINTI POST CHRISTUM  
NATUM SECULI HÆRESES.**

Præter hæreses quas in superioribus centuriis enumeravimus, quæ etiamnum vires suas exerebant, sequentes potissimum fuerunt hæreses.

1. ABELONII. De quib. supra sec. 2. sub hæresi Valentini dictum.

2. PA-

2. **PATERNIANI.** Hi ex pessimis fontibus Eunomianorum & Patritianorum hæreticorum proflexerunt, quemadmodum apparet ex dogmatis consensione, quietiam à morum turpitudine dicti sunt *Venusiani*. De quibus tamen supra sec. 3. sub hæresi Manich. ut suo loco mentio facta est.

3. **NESTORIANI.** Cum jam primum hostis Dei & filii ejus infensissimus, Draco rubicundus, serpens vetus, variis modis fidem Christianam labefactare tentasset, variis etiam ad eam rem machinis & instrumentis usus multum tum in Oriente tum in Occidente eam de sua veritate propulisset, tandem majoribus viribus connixus, prorsus extinguere, & evertere voluit, ne toties sibi laborandum, colluctandumq; esset. Itaq; cum per Arianos magna jam istius totius fidei Christianæ ruinæ initia fecisset, quicquid veræ lucis & cognitionis restabat,

bat, per Nestorianos & Eutychianos  
vel omnino tollere, vel prorsus invol-  
vere, ut incertum, & obscurum cœ-  
pit. Fuerunt enim istæ duæ hæreses  
ut tempore ad Mahumetismum &  
Papismum cõstituendum postremæ,  
ita totius Christianæ fidei strages, quæ  
ipsas pietatis reliquias erroris teterrimi  
veneno jugularunt, & funestissimi  
exequiis sepeliverunt. Dicitur au-  
tem sunt Nestoriani à Nestorio, qui  
fuit Germaniciâ (quod erat Comage-  
næ provinciæ oppidulum) oriundus,  
homo disertus, sed ambitiosus, qui  
per varias civitates obambulans, se-  
desq; subinde mutans, fama sanctæ cu-  
jusdam & austeræ vitæ, ad episcopa-  
rum Antiochenum, tandem perve-  
nit. Inde post Sittanii mortem Con-  
stantinopolitanus episcopus factus,  
sævum se & crudelē in omnes hæ-  
reticos mirum in modum statim  
præbuit, adeo ut in jura magistratus  
inva-

invaderet, dum ipse precipiti ita raptus, manu propriâ eorum templum incendit, de quo ab ipso Imperatore Theodosio juniore reprehensus legitur. Hic cum aliquando *Arbanasium* (alii eum appellant *Anastasium*, quem Nestorius Antiochiâ secum adduxerat Constantinopolim) Presbyterum Constantinopolitanum Mariam *θεοτόκην* Dei genetricem, pro concione docere audiret: Dixit Nestorius: Maria homo fuit, ab homine Deus gigni non potest. Quare in publicis concionibus vocem *θεοτόκην* ut impiam rejicit; ac novum *Ἐπίδοξον* adjecit, in hæc verba erumpens: *Noli gloriari Judæe, Non Deum sed hominem crucifixisti. Negans itidem Filium Dei dici posse διμνησθῆναι, καὶ τριμνησθῆναι, h. e. bimestrem & trimestrem.* Erroris vero hujus causa unica erat hæc, quod talem statuebat Unionem duarum naturarum in Christo, ex qua  
 nulla

nulla prorsus realis, tum Naturarum,  
 tum Idiomatum, communicatio flue-  
 ret. Hæreseos autem Nestorianæ Bel-  
 larm. Tom. 1. operum lib. 3. de perso-  
 nâ Christi cap. 5. p. 269. quatuor capi-  
 ta potissimum constituit, quæ ibi vi-  
 deri possunt. A Jesuitâ dissentiunt Cal-  
 viniani, Nestorii cōfessionem in Con-  
 sensu suo Orthodoxo c. 1. p. m. 52. ad  
 huc aliter describentes. Sed utrinque  
 hæresis Nestorii minus cādide est de-  
 finita, sed per manifesta crimina falsi,  
 eandem corruerunt. Longè n. aliter  
 hæresin illam descriperunt. Evagrius  
*lib. 1. cap. 2. Theodoret. lib. 4. hæret. Fab.*  
*Item expositio Fidei Nestorii, quam ipse*  
*edidit, & nunc in ultimo Tomo operum*  
*Cyrilli habetur. Sed controversia illa*  
*inter Nestorium & Anastasium ad Cy-*  
*rillum Episcopum Alexandrinum de-*  
*lata est, isq; initio ad Monachos in*  
*Ægypto hac de controversiâ literas*  
*dedit, inq; iis ostendit, rectè Mariam*  
*dici Θεοτόκον, Dei matrem, propter*  
 dua-



duarum in Christo naturarum unionem, atque ex hac unione *κοινωνίαν ἰδιωμαίων* proficisci, sic tamen ut utraq; natura suas proprietates retineat. Deinde post multa alia, quæ utrinque hac in controversiâ acta sunt, à Cyrillo Synodus provincialis Alexandriam convocata fuit, in quâ prolatis, lectis, & ponderatis epistolis & capitibus concionum Nestorii, hæreticq; tandem pronunciatus est. Sed cum istâ actione parum profectum esset, Theodosius junior Imperator, Ephesiam tandem Synodum (quæ fuit Oecum. tertia) coegit, in quô duodecimilli Anathematismi Cyrilli comprobati fuerunt. Nestorius sic damnatus, aliquot primùm annis in Monasterio quodam Antiochiæ vicino latuit; postea ad extremos Ægypti & Africae fines Oâsin oppidum deportatus est, ibiq; in exilio jam senio confectus, miserè periit; blasphemiam prius linguâ à vermibus corrosâ, ipsaq; terra

de hi-

de hiscente, eumque deglutiente, ut memorabile aliquod, tantaq; impiæ in Christum blasphemix, in Nestorio illius autore exemplum posteris extaret. *Socrates. lib. 7. Euagrius. lib. 1. c. 2. Niceph. lib. 14. cap. 14.*

4. EUTYCHIANI. Eutychiani ab Eutyche dicti sunt, qui fuit Archimandrita Constantinopolitanus, quem Abbatem postea vocarunt, homo superbiæ, superstitionisq; monachicæ plenus, arrogans & αὐτάδης, qui totam hæretici cœni fœcem & excrementa impurissima colligens, tandem hanc hæresin condidit, quæ velut immanis hydra innumeras postea alias peperit, & Ecclesiæ pestem, fideiq; Christianæ interneccionem in Oriente tandem prorsus attulit. Hic igitur jam senex cum videret Nestorium damnatum, quod contenderet, λόγον tantum adfuisse homini Christo tāquam socium, quemadmodum  
Eliæ

Eliaz & aliis sanctis, hoc dogma de  
 duabus in Christo naturis cum refu-  
 tare & revellere animum induceret;  
 ad contrariam hyperbolem delapsus,  
 confusionem naturarum fluxit, con-  
 tenditq; , humanam naturam ipsam  
 factam esse naturam. Hujus  
 vero hæreseos Bellarminus itidem  
 Tom. 1. l. 3. de Incarnat. cap. 2. p. m. 260.  
 sed minus rectè; quatuor capita con-  
 stituit. Confessionem autem suam  
 ipse Eutyches, teste Evagrio lib. 1. c. 9.  
 in Concilio Chalcedonenſi his verbis  
 complexus est: *Confiteor Dominum*  
*noſtrum, antequam Divinitas cum Hu-*  
*manitate conjungeretur, ex duabꝫ fuiſſe*  
*naturis: at poſt harum rerum conjun-*  
*tionem, unam ſolum naturam in eo ex-*  
*ſiſſe affirmo: Idem etiam corpus Do-*  
*mini, non ex eadẽ ſubſtantiã cum no-*  
*ſtro corpore conſtare affirmo.* Quod  
 ipſum etiam Niceph. l. 18. c. 52. con-  
 firmat: Cum vero Scriptores Eccle-  
 ſiaſticj

fictici afferant, hæresin Eutychis, è  
 diametro hæresi Nestorianæ fuisse  
 oppositam, audiamus *Vigilium* pul-  
 chre lib. 2. contra Eutychen, sic dis-  
 serentem: Nestorius duas intuens natu-  
 ras, duas putavit esse personas: Eutyches  
 unam respiciens personam, unam censuit  
 esse naturam; Et quia est in Christo, &  
 Naturarum proprietates, & personæ unior  
 Nestorius proprietatem attendens natu-  
 rarum, à personæ excidit unione; Et Eu-  
 tyches unam intuens personam à natu-  
 rarum proprietate descivit, & ipsam di-  
 vinitatem asseruit passam. Vides quanti  
 periculi res sit, aut unam in Christo non  
 credere personam, aut duas confiteri  
 nolle naturas. Dum unam contra Nesto-  
 rium Christi defendo personam, existimor  
 secundum Eutychen, humanam negare  
 naturam. Dum contra Eutychen duas  
 assero naturas, existimor secundum Ne-  
 storium, duas profiteri personas: quia il-  
 le duabus naturis, duos Christos, duasq;  
 perso-

personas credidit adscribendas. Hactenus  
 Vigilius. Ex narrationibus itaque  
 istis constat: Eutychem concessisse  
 ante unionem duas quidem naturas,  
 post unionem autem unam tantum  
 asseruisse. Insuper Corpus Christi ex  
 cœlo delapsum esse affirmavit, & eo  
 in cœlis indutum. Verbum Dei per  
 virginem, tanquam per canalem trās-  
 ivisse, cum Manichæis contendit. Ad-  
 didit & hoc, carnem Christi non ejus-  
 dem cum nostrâ esse naturæ. Contra  
 Eutychem ergo primum Flavianus  
 Constantinopolitanus Episcopus ab  
 Eusebio Doritæo admonitus, qui Ne-  
 storii etiam primus hæresin depre-  
 henderat, convocavit Synodum pro-  
 vincialem, & Eutychem de errore ad-  
 monuit, nec resipiscentem, ordine  
 movit. Eutyches contra opera Chry-  
 saphii Eunuchi, Eutichi suoq; errori,  
 faventis, ab Imperatore Theodosio  
 aliam Synodum Ephesi coëgit, quæ

21571-

Ἀνεπίκουρος prædonum conventus no-  
 men sortita est, in qua minis sui dili-  
 rii approbationem extorsit, & Fla-  
 vianum repugnantem, in ipso Syno-  
 di cœtu de sede vi deturbatum sic  
 calcibus proculcavit, & verberibus,  
 spectantibus aliis Episcopis præsen-  
 tibus nec obstantibus excepit, ut  
 saucius inde elatus, triduo post mor-  
 tuus fuerit. Tandem mortuo The-  
 odosio Marcianus, qui ei successerat,  
 aliam Synodum convocavit Chal-  
 cedonem 630. Patrum, Anno Chri-  
 sti 451. Cujus Synodi quæ fuerit  
 sententia ex Symbolo ibi edito in-  
 telligitur. Et hæc quarta fuit Syno-  
 dus Oecumenica.

*SEXTI SECULI A CHRISTO  
 NATO HÆRESES.*

Quamdiu Synodi Chalcedonensis  
 in Ecclesia valuit auctoritas, aliqua  
 etiam fuit Ecclesiarum præprimis in

G

Orien

Oriente quies & tranquillitas, postea vero ex una illa Eutychis hærese, tanquam immani fonte & hydra, multa hæreseon millia, ut Niceph. lib. 18. cap. 45. scribit, extiterunt, quæ tamen non statim eruperunt, sed tum demum, postquam Imperatorum favore subnixi venena sua evomere sunt ausi. Tot autem penè nomina diversarum hæreseon sunt sortiti, quot fuerunt homines de iis loquentes. Nos omissis diversis ejusdem erroris appellationibus quæ penè sunt infinitæ, capita ipsa hæresium diversa paucis referemus.

Prima autem Eutychianorû propago fuerunt *Monophysitæ* qui & *Schematici*, & *Theopaschitæ* à dogmatis absurditate; & à loco *Ægyptii*, (cum enim in *Ægypto* plurimum hi hæretici regnarent, & postea per totam *Syriam*, statim tota *Ægyptus* in eam sententiam abiit,) sunt nominati. In  
horum

horum errore defendendo fuit occupatissimus Johannes Grammaticus, cognomento Philoponus, genere Alexandrinus. Ut docet *Niceph. lib. 18. cap. 47.* Ante eum vero Dioscorus Alexandrinus, qui ex duabus naturis Christum constare non negabat; in duabus vero naturis ipsū subsistere inficiebatur. Unam igitur duntaxat in Christo naturam agnoscunt hi Monophysitę, divinā nempe, quam etiam passam fuisse apertē profitentur, Concilium Chalcedonense, ut in qua hæresis ipsorū damnata, ipsi omnino damnant.

His successere *Acephali*, qui & *Severite* à Severo Antiochie Episcopo, & *Julianiste* à Juliano Halicarnasseo; & à loco *Cōtobaptiste* (alii *Cōtobabditę*) & *Angelite* dicti sunt. Hi naturas quidem duas in Christo post unionem, etiam videri volebant agnoscere, sed proprietates illarum ita confusas esse



contendebant, ut sicut gutta aceti in mare effusa, suas perdit vires; Ita humanitatem cum divinitate unitam, suas amittere proprietates. Hujus hæreseos defensorem postea accerrimum scribunt Theodosium Episcopum Alexandrinum fuisse, unde & *Theodosiani* dicti sunt.

Ex eodem impietatis fonte fluxerunt & *Agnostæ*, non ab autore sed a dogmate sic nominati. Hi docebant divinam Christi naturam (nam hanc solam post unionem agnoscebant, tanquam absorpta plane esset humana) quædam ignorasse, ut horam extremi judicii, sepulchrum Lazari, transferentes impiissime ad divinam Christi naturam, quæ humanæ propria fuerunt. *Niceph. lib. 12. cap. 30.* Hi in tres lectas divisi fuerunt *Damianorum, Paulianorum, Petritanorum*, de quibus *Nicephorus l. 18. c. 49.*

Idem planè cum Eutyche statuerunt

xunt

runt *Jacobitæ*, à Jacobo Syro (qui ob paupertatem Zanzalo dictus) denominati. Et *Armenii* à provinciâ (quod scilicet eodē Eutychnis errore paulo post duç Armeniæ major & minor non modo labefactatæ fuerint, sed prorsus à vera fide de utraq; in Christo natura abductæ, opera infelicis cujusdam Euchanii vel Echami, qui cognominatur Mantacunes, ut scribit Niceph. l. 18. c. 53.) sunt dicti. Hi præter id quod negarent, Christum corpus humanum ex virgine Maria assumis-  
 se, sed illud ab ipso conceptionis momento incorruptibile habuisse contenderent, quod ipsum per se adorent, etiâ Quaternitatem non Trinitatē in divinis personis inducebāt unde & *Tetradistæ* & *Tetradoitæ* nominati fuerunt.

*Monotheletæ*. Ex iisdem Eutychnianorum fœcibus propullularunt *Monotheletæ* à dōgmate sic vocati:

Horum Autor primus fuit **Cyrus Alexandrinus** Episcopus, patroni autem ejusdem dogmatis **Sergius Constantinopolitanus Patriarcha**, & **Macarius**. Hi cum viderent exosos Eutychanos, quod unam Christi naturam statuerent, errore retento, nomen *Voluntatis*, pro *Naturæ* supposuerunt, & duas in Christo Voluntas esse contenderunt hoc argumento: Quod si duæ concederentur voluntates, contrarias eas esse statuendum esset. Sed facile respondetur: Non duas voluntates necessario debere esse contrarias, sed convenire inter se posse, aut ita saltem diversas esse, ut non sint contradictoriæ. Contra hos coacta Synodus Sexta Universalis, Constantinopolitana, Tertia.

Atq; hæc Eutychanorum contentiones eo evaserunt, ut Eutychiani, imprimis **Sergius Monachus**, non dubi-

tarint Mahometi, tum temporis & novum imperium, & novum doctrinæ genus machinanti, operam suam addicere : Unde totus oriens augustissimi prius imperii & religionis sanctissimæ sedes, blasphemorum latronum stabulum postea factus est.

*SEPTIMI SECULI POST CHRISTUM NATUM HÆRESES.*

Quemadmodum ex variis elementis corpus solidum coalescit, subactione & concretionem atomorum, farris, pollinario cribro eventilati, massa formatur, & sicut ex multiplici calcis, disjectorum lapidum, tignorum, columnarum, coctilum laterum, regularum imbricum, asamentorum & lignorum materia, ædificium, & structura ingens assurgit; sic rude, perplexum & dispersum Chaos abominandarum hæresium, infernalis Draco, tandem post

sexcentorum annorum, à nato Ser-  
vatore *μελλήματα*, in duas quasi  
moles redegit, à maturo Mahome-  
tismi foetu in orientem eructato, &  
filio perditionis, Papismo in occi-  
dentem excreto. Nam multiplices  
illæ, hæctenus enumeratæ de doctri-  
nâ contentiones, sub initium septi-  
mi seculi in duas quasi sentinas con-  
fluxerunt. Et cum hæretes omnes  
partim personam atq; naturas Chri-  
sti oppugnarint: partim meritum  
ejus labefactarint: Priores illæ in  
Oriente & ad Meridiem Mahome-  
tismo occasionem dederunt; Poste-  
riores autem in Papismi abominatio-  
nes degenerarunt.

**PAPISMUS.** Pontificiæ stabilien-  
dæ abominatiõni hæc fuit occasio:  
quod Phocas, qui Dominum suum  
Mauritium Imperatorem excitatâ  
feditiõne castrensi occiderat, Anno  
Christi 604, ut gratiam aliquam ho-  
minû

minum colligeret in Occidente, (toti enim orienti erat invisissimus) Romanæ Ecclesiæ jam tum cum Constantinopolitana contendenti, hoc dederat privilegium, ut caput esset omnium Ecclesiarum, & ab hoc tempore Episcopus Romanus, Episcopus Oecumenicus, hoc est, Episcoporum omnium universalis dictus est inspector. Ita videlicet operas mutuas parricida Phocas, & inestimabili ambitione ardens Bonifacius III. Romanus Episcopus sibi invicem ferebant. Originem Papismi & primatus Romani Pontificis fusc inter alios ex antiquitate Ecclesiastica collectam & descriptam vide à D. Hœ Comment, in Apoc. cap. 9. à pag. m. 131. ad pag. 141. & deinde cap. eodem. à p. 160. usq; ad pag. 181. & seqq. ubi & edictum illud suppositivum Pontificium de donatione Constantini, unde primatum Rom. Pont. proba

probare conantur refutatum vide.  
Item. D. Phil. Nicol. lib. 1. de Regno  
Christi. c. 7. & 8. Dissertationem it.  
D. J. Quistorpii, de Papisino.

MAHOMETISMUS, qui & GOGI-  
SMUS & SARACENISMUS. Inter Pon-  
tificiam dominationem in Occiden-  
te stabilitam Anno Christi 637. &  
Mahometi initium quindecim tan-  
tum anni interfuerunt. Nam regnan-  
te Heraclio Cæsare A. C. 622. pro-  
diit impius Mahomet, qui genere  
Arabs de gente Ismaëlitica, Parenti-  
bus Idololatræ prognatus, homo  
pauper, & negotiator cum mercato-  
ribus Ægyptiacis, sed audax, & astu-  
tus interim, qui in matrimoniū sibi  
associavit viduam, eamq; satis divitē.  
Arabes libertatis studiosissimi, cum  
Saracenis, quos durius hactenus He-  
raclius tractaverat, Mahometem  
principem suū declarant. Cum  
vero Mahomet humilitatem gene-  
ris,

ris,

ris, non nihil sibi apud Magnates detrimēti adtrahere posse animadvertet, divinitatē certis præstigiis ostendit, nominans se Prophetam & Nuncium omnipotentis Dei. Dolum hunc Mahomedis observantes incolæ Mechæ vel Mexæ, ferre eū diutius noluerunt: quare A. C. 622. circa tempus vespertinum, intra, & 6tam feriam, clam ex illâ urbe profugiens, occupavit civitatem Getrib, inq; eâ sedem principatû collocavit, nomenq; Medinæ Albadi, i. e. civitatem Prophetæ ei dedit. A tempore a fugæ Mahometis ex Mecha, Mahomedani *Algharam*, s. computum suū ab A. C. 622. inchoant. Hic Mahomet suggerente diabolo & non nullis Judæis inter quos Pinehâ, & Abdi-Ben-Salomon, & nonnullis hæreticis quorum primus Sergius Monachus fuit, quem in loco aliquo occulto reservavit, ei consilia ut suggereret, easq

sugg



stiones à Deo vel angelo factas publice dixit, & doctrinam suam Mahometicā ex iis adornavit. Sæpe Mahomet raptu epileptico prostratus jacebat, ut prætendit, propter Angeli aut Dei ipsius alloquium; scripturā illam Mahumeticam *ALCORAN* dictam, ipso dormiente in eum decidisse dixit.

*Dogmata Alcorani Turcici hæc sunt præcipua.*

1. *De Deo*: Negat divinam essentiam simplicissimam esse: sed ei quoq; animam affingit, negat etiam in divinā essentiā tres personas esse.
2. *De Christo*. Christum negat esse Deum, & creaturam tantum appellat etsi magnum ipsum Prophetam esse agnoscat, Christum Dei Filium non esse, propterea quod Deus uxore non habeat: & Christum non verè passum esse, sed *Φάρμακον* Judæis oblatum fuisse.
3. Manichæorum ac Valen-

Valentinianorum dogmata de creatione mundi, & dæmonum naturâ, atq; propagatione, retinebat. 4. Leges Mosaicæ Ceremoniales quasdam, ut Circumcisionem, delectum ciborum, corporum lotiones varias, strictè observari vult. 5. Omnia Sacramenta à Christo instituta rejicit. 6. Inducit opinionem de meritis certorum operum & traditionum à se institutarum, & deficientibus ab hac fide, veniam cum Novatianis in perpetuum derogat: & orandum omnino esse versus orientem, certumq; orationum numerum præscribit. 7. Matrimonium polluit, plures uxores concedit, divortia levissimas ob causas permittit. 8. Jurat per creaturas, & bella sola religionis causa geri oportere docet. Postremo. Non modo vitam æternam Epicuræorum more, in voluptatibus corporis, etiã in ipso cœlo collocat, sed infernum quoc

quoq; ejusq; pœnas fabulosè explicat, & Diabolos tandem salutem consecuturos esse cum Origenistis docet. Et hæc portentosa opinionum totum Orientem & meridiem occuparunt, tamen si n. aliquæ in illis locis sunt Ecclesiæ misera tamen illarum est conditio, & depravata doctrinæ confessio. Nam decem numerantur genera Christianorum, qui hinc inde in Oriente habitare dicuntur. 1. Latini. 2. Græci. 3. Indi sive Æthiopes. 4. Jacobitæ sive Coptitæ. 5. Nestoriani. 6. Maconitæ. 7. Armenii. 8. Georgiani. 9. Suriani. 10. Mazarabes, de quibus vide historiâ Ecclesiast. D. Pappi. p. m. 369.

Cæterum quum varia præterea sint hæreticorum genera, quæ ex his modo enumeratis, posterioribus seculis quasi sint pronata, quorum & errores novisse perutile quidem foret cum vero ab aliis plurimis, (inter quos præcipui Dn. D. Cramerus

in ac

in Arbore Hæret: & imprimis Dn.  
D. Schlüsselburgius, in Catologo suo  
hæreticorum, ) copiose satis sint  
enumerata, modulū item hujus  
opusculi excedant, & tempus alicuius  
melioris indaginis requirant, earum  
recensionem his addere nolimus,  
sequetur tamen aliquando bono cū  
DEO, atq; hic laboris hujus nostri  
terminum statuimus.

Dominus Miserationum Ecclesiā  
suam nosq; in illā viventes prote-  
gat, nostri misereatur, & ab omnibus  
importunissimorum Satanz instru-  
mentorum imposturis, suos cle-  
menter defendat.!

AMEN.

M. O. Δ.

os: ) o/: do















Valentinian  
rione mund  
atq; propa  
ges Mosaicas  
ut Circumci  
rum, corpor  
ctè observa  
menta à Ch  
Inducit opin  
rum operum  
stitutarum,  
fide, venian  
peruam der  
no esse ver  
orationum  
Matrimoniu  
concedit, di  
las permitti  
& bella sola  
portere do  
modo vitam  
more, in vo  
in ipso coelo

157  
de crea  
a naturâ,  
t. 4. Le  
quasdam,  
um cibo  
arias, stri  
nia Sacra  
reijcit. 6.  
tis certo  
n à se in  
us ab hac  
is in per  
um omni  
certumq;  
scribit. 7.  
es uxores  
s ob cau  
reaturas,  
a geri o  
Non  
uræorum  
oris, etiã  
infernum  
quod



the scale towards document